DE NICANDRI COLOPHONII VITA ET SCRIPTIS.

DISSERTATIONIS PHILOLOGICAE
PARTICULA PRIOR
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
UT SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRET
UNA CUM THESIBUS ADIUNCTIS
DIE XXVIII. MENS. IULII A. MDCCCLII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

RICARDUS VOLKMANN.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
TH. MUEHLE, PHIL. CAND.
O. HEINE, PHIL. STUD.
H. SCHUETZE, PHIL. STUD.

HALIS SAXONUM
FORMIS PLOETZIANIS.

VIRO CLARISSIMO

GODOFREDO BERNHARDYO

PRAECEPTORI BENEVOLO

PIETATIS ET OBSERVANTIAE CAUSA

HUNC LIBELLUM INSCRIPSIT

R. V.

Caput I.

De vita Nicandri Colophonii, medici, grammatici, poetae clarissimi, pauca tradiderunt Suidas et auctor *γένους Νικάνδρου*, qui a Dionysii Phaselitae de poesi Antimachi libro et ipsis Nicandri carminibus profecit, eiusque copias Eudocia Violet. p. 308 ad verbum exscripsit. Quae si cum iis coniunguntur, de quibus in scholiis mentio fit, haec fere colliguntur.

Natus et educatus est Nicander Clari, Colophoniorum urbe [1]), unde breviter Colophonium plerique vocant, patre, ut ipse tradidit, Damaeo, ut autem Suidas, fortasse per errorem, quoniam frequens admodum hoc nomen Colophoniis fuisse videtur, Xenophane, cuius genus ferebatur Aetolicum, sive ipsius maiores sive uxor Aetolia erant oriundi. Idem Clarii Apollinis sacerdotium, a maioribus hereditate acceptum, filio transmisit. Nicander quos litterarum habuerit magistros, quibusque studiis iuvenile exercuerit ingenium, a nemine traditum est. Plurimam vitae partem in Aetolia commoratus esse dicitur, cuius rei haud leve argumentum e commentariis eius de rebus Aetolicis diligenter compositis veteres petebant [2]).

De aetate Nicandri diversissime traditum est. Vitae quidem scriptor haec: *χρόνῳ δὲ ἐγένετο κατὰ τὸν Ἄτταλον*

1) Ther. 957. Adde *Γένος Νικ.* et Schol. Clem. Alex. p. 96. *Κλάρος Κολοφῶνος πόλις, ὅθεν ἦν Νίκανδρος ὁ ποιητής.* De Claro urbe et Clario oraculo vide quae C. A. Pertz. Colophon. p. 20 sqq. p. 49 sqq. disputavit. 2) Cf. Meinek. Act. acad. reg. Berol. 1832. p. 129. coll. Anal. Alex. p. 173. Welcker. cycl. ep. I. p. 56 n. 74. — Ceterum Nicander nescio quis praetor Aetoliae fuit a. 190—189 a. Chr. cf. Liv. XXXVIII, 1. sqq. Polyb. XXII, 8. Clinton. Fast. Hellen. T. III. a. 189.

τὸν τελευταῖον ἄρξαντα Περγάμου, ὃς κατελύθη ὑπὸ Ῥωμαίων. Intelligitur sine dubio Attalus III, qui ab anno 138 — 133 Pergami regnavit et imperium per hereditatem Romanis tradidit, proprie autem καταλυθῆναι ὑπὸ Ῥωμαίων dici non potuit. Eadem habet Eudocia. Contra Suidas diversas de Nicandri aetate sententias, quae ipsi innotuerant, ita in unum conflavit, ut poetam κατὰ τὸν νέον Ἄτταλον, ἤγουν τὸν τελευταῖον, τὸν Γαλατονίκην, ὃν Ῥωμαῖοι κατέλυσαν, vixisse dixerit, ubi saltem legendum videtur: κατὰ τὸν νέον (πρῶτον?) Ἄτταλον τὸν Γαλατονίκην ἤγουν τὸν τελευταῖον, ὃν κτλ. Attalus enim Galatonices qui ab anno 241—197 regio nomine rebus Pergamenorum praefuit, toto aeculo ab Attalo III, qui a nno 133 obiit, fuit diversus. Iam recentiores philologi, qui de Nicandri vita scripserunt, mediam quandam viam ingressi sunt, ita ut circa an. 150 Attalo II. regnante floruisse eum statuerent[1]); vereor tamen ne idonea destituti auctoritate. Nam si reliquos antiquitatis testes circumspicimus, auctor dissertatiunculae, cui inter prolegomena in Theocritum περὶ τῶν τῆς ποιήσεως χαρακτήρων inscribitur, Theocritum Arati Callimachi Nicandri aequalem fuisse dicit, quorum aetatem ad Ptolemaei Philadelphi imperium (a. 284 — 246) refert. Omnino vetus erat fama, Arati qui sub Antigona Gonata floruit aequalem fuisse Nicandrum; accedebatque inepta fabula, Antigonum Arato, qui medicus esset, praecepisse ut de phaenomenis, Nicandro vero astrologo et rerum medicarum imperito, ut de Theriacis et Alexipharmacis carmina componeret. Refutatur hoc commentum a grammaticis, quorum libelli de vita Arati supersunt: etenim alter Nicandrum duodecim Olympiadibus minorem facit (Arat. vit. Bekk. p. 48), alter κατὰ τὸν πέμπτον Πτολεμαῖον (Ptolemaeum dicit Epiphanem a. 294—181) eum vixisse tradit (Arat. ed. Buhle II. p. 432. Schneid. Nic. Ther. p. 4). Itaque horum quoque computationes temporibus At-

---

1) Ritschl. de bibl. Alex. p. 86. n. et 90. natum esse putat Nicandrum sub finem imperii Attali I. c. Ol. 145, mortuum c. Ol. 160—161, regnante Attalo III. — Clinton. l. I. p. 528: Nicander of. Colophon B. C. 182. 138. cf. eundem ad hos annos.

tali primi eum ascribunt. Rem autem conficeret Athenaei locus XV. p. 684 e., a nemine quantum scio in hac quaestione adhibitus, ubi fragmentum Nicandri e Carystii Pergameni *ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι* citatur, nisi huius grammatici aetas incerta esset. Nam fallitur Wegnerus, qui Athenaei verbis XIV. p. 620 e. negligenter inspectis, eum temere Sotadae Alexandrini filium fecit (de aula Attal. p. 186.), neque certiora de ejus aetate Koepkius de hypomn. Gr. p. 13 protulit. Ritterum vero mittimus, qui de Didymo p. 52 ejus aetatem ad Eumenis I. imperium (a. 263 — 241) rettulit. Itaque reliquis grammaticorum testimoniis in unum collatis floruisse videtur Nicander in confiniis saeculi tertii et secundi. Attali I. imperio certe inferior non fuit; nec multum discrepat Wegnerus p. 171.

Attalus autem Galatonices is est, qui prima litterarum Pergami iecit fundamenta et doctam quandam condidit societatem, convocatis undique magni nominis eruditis, quibus necessariam doctrinae supellectilem liberaliter paravit. Huius igitur gratia Nicandrum quoque floruisse cum per se probabile sit, tum inde colligi potest, quod Nicander librum suum de Colophoniis poetis Attalo inscripsit, de quo infra exponam. Ceterum ex antiquitate nemo de domicilio Nicandri Pergameno tradit. Itaque temerarium videtur „auctoribus et conditoribus rei litterariae Pergamenae Nicandrum Colophonium annumerare, cui forsan ipse Crates, cum iuvenis Pergamum veniret, praecipuam debuerit disciplinae grammaticae institutionem[1]).“ —

Scripta Nicandri magnam partem recensuit Suidas: de quibus antequam exponam, ex re videtur de aliis monuisse viris, qui eodem nomine inclaruerunt. Praeter eos vero Nicandros, quorum nomina tantum innotuerunt, velut quos Fabric. Bibl. Gr. T. IV. p. 353 Harl. indicat, tres imprimis in censum veniunt. Quorum primus, Nicander Alexandrinus, incertae aetatis scriptor, librum *περὶ τῶν Ἀριστοτέλους μαθητῶν*, Suidae laudatum v. *Αἰσχρίων*, reliquit, quem male

---

1) Wegner. l. l. p. 172 quem temere ut in reliquis exscripsit Graefenhan. hist. phil. class. I. p. 411. —

Colophonio poetae tribuit Graefenhan. hist. phil. class. II p. 205. Fortasse non diversus fuit Nicander Peripateticus, citatus scholio apud Bandur. Imper. Orient. T. II. p. 861. *τὸ γὰρ πένθος κυρίως, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Περιπατητικὸς, ἐπὶ ἀώρου τίθεται τέλους.* Secundus est Nicander Chalcedonius, cuius quartum librum de Prusiae infortuniis Athenaeus laudavit XI p. 496. e. et sextum *περιπετειῶν* XIII 606. b. — Tertius denique Nicander Thyatirenus grammaticus, saepe cum Colophonio confusus, qui de pagis Atticis commentatus est et *ἐξηγητικὰ Ἀττικῆς διαλέκτου* vel *Ἀττικὰ ὀνόματα* scripsit, quorum fragmenta indicavit Meier. Comment. Andoc. VI, 3 p. 8 et VI, 13 p. 63. Hos autem Nicander Colophonius celebritate et gloria adeo superavit, ut eorum memoria apud posteritatem oblitterata sit: quo minus si qua fragmenta sub Nicandri nomine simpliciter afferuntur, ea Colophonio ascribere dubitabimus.

Libros autem scripsit Nicander plurimos, quibus multiplicis doctrinae laudem sibi comparavit. Id quod in illius aetatis homine non mireris, qua doctissimus quisque ad *πολυμαθίαν* quam maxime aspirabat. Sed quid in grammaticis studiis praestiterit Nicander, difficile est dictu, cum praeter Glossas scripta eius in hoc genere nulla commemorentur. Siquid tamen ex superstitum carminum elocutione colligimus, assiduam antiquorum scriptorum lectionem attulit; quippe qui magnam diversissimarum glossarum vim ostentet, quibus libros tamquam opere musivo exornavit.

Itaque singula si circumspicimus, multa Nicander ex Hesiodo, Archilocho, Pindaro, poetis tragicis, Aristophane aliisque poetis arripuit. Antimachum autem eum imitatum esse cum per se patet, tum disertis verbis a Schol. Ther. v. 4. traditum est. Ex Antimachi fragmentis quamquam certiora hac de re colligi vix possunt, notavi tamen *ἀμορβὸς* ex Ant. fr. 16, *κελέβειον* pro *κελέβη* e fr. 18—20, *πλόος* de terrestri itinere usurpatum e fr. 74, *πολύστειος* cf. Stoll. ad Ant. p. 34. Porro ex eodem fonte dorismi manarunt, velut *δάγμα* eum semper pro *δῆγμα* dixisse auctor est Schol. Ther. 119. ac fortasse in Alex. 119. *δαγμὸν*, quod Eustathius suppeditat, pro *δηγμὸν* scribendum est. Deinde *θιβρὸς* (non *θιμβρὸς*,

cf. Meinek. Anal. Alex. p. 128) doricum est, quod significat *θερμὸς*, Nic. Alex. 568. cf. intpp. Hesych. I, p. 1718. Adde *πιάζω* pro *πιέζω* Nic. Alex. 224, et *τάμισος* Alex. 374. quod doricum esse pro *πυτία* creditur. Siceliotae vocabulum *ἀχύνετος* Alex. 174 sibi vindicant, Italiotarum glossam verbum *φλύζω* pro *φλόω* agnoscunt Schol. Alex. 214. Plura Aeschylus dedit, velut *αἶπος*, *βρωτὴρ*, *δάκος* i. e. animal morsu noxium, *δροίτη*, *λέπας*, *λῆνος*, *λίπτω*, *σίνος* vel *σῖνος*, *φύγδην*, *ὠδῖνες* h. e. res quae doloribus partae sunt, alia. Neque praestantissimos Alexandrinorum grammaticos vel poetas neglexit; quorum Callimachi vestigia presse secutus est. Plurimam sine dubio studiorum operam in Homero consumpsit, a quo paene omnes illius aetatis grammatici et poetae tamquam a principio rerum grammaticarum et sermonis poetici profecti sunt. Itaque Nicander non solum multas habet voces, formulas adeoque versus totos cum Homero communes, sed multa etiam apud eum extant vocabula, mutata vel aliquantum inflexa potestate. Conferantur autem cum fonte Homerico: *ἀήτης*, *αἰζηὸς* homo, non iuvenis, *ἀνθερεὼν* de serpente dictum cf. Meinekium Anal. Alex. p. 92, *αὖλις* domicilium universe, non pernoctantium tantum, *γένειον* maxilla, non mentum, *ἐνωπὴ* facies, *κῆδος* cf. Schol. Ther. 2, *κόρση* caput, non tempora, *κώληψ*, *λάχνη*, *λοιγὸς*, *μῶλος*, *οἰωνοί*. Aliquoties Homericae vocabulorum notiones ex arbitrio mutatae sunt, de quo more poetarum Alexandrinorum Meinekius dixit in Anal. Alex. p. 136 sqq., velut in *ἀποφώλιος* Al. 524, *ἀσκελὴς* Ther. 42, *ἀσταγὴς* Ther. 307, *ἡμιδαὴς* Al. 55, *ἰοδόκος* Ther. 184, *ὁλοφώιος* Ther. 1, *ἰοειδὴς*, *ἄρκιος* aliisque. Neque miramur rariora Homeri vocabula ab illo non minus quam ab aliis poetis Alexandrinis, reconditae orationis amantissimis, diligenter esse notata et in lucem reducta. Itaque si optio daretur, aut rarum omnino praetulit doctus poeta, aut aequa saltem liberalitate cum usitato mutat. Huc pertinent *ἄσις*, *ἀτραπιτὸς*, *βρεχμὸς*, *γλάγος*, *ἴαμνοι*, *λαοφόρος*, *μόλιβος*, *νήδυια*, *πάχετος*, *χέεια*, *αὐαλέος*, *ἐλεόθρεπτος*, *μακεδνὸς*, *εἶθαρ*, *ἀγρώσσω*, *ἀηθέσσω*, *δατέομαι*, *δινεύω*, *ἐριδμαίνω*, *κορθύομαι*, *νεμέθω*, *ὀρεχθέω*, *στρεύγω*, *τερσαίνω*, alia. Et summo quidem studio Nicandrum suum

lectitasse Homerum inde probatur. Sed commentariis eum instruxisse poetam non est traditum, neque hoc inde effici potest, quod in fine Ther. v. 947 se ipsum Homereum appellat. Huius enim cognominis et variae causae possunt afferri et a scholiastis allatae sunt: *ἢ διὰ τὸν ζῆλον, ἢ διὰ τὴν πατρίδα. Κολοφώνιον γὰρ ἔνιοι τὸν Ὅμηρον ἐγενεαλόγησαν· ἢ ἴσως Ὁμηρικὸν, ὥςπερ Κρατίνειον* (l. *Κρατήτειον*) *καὶ Ἀριστάρχειον.* At Joh. Tzetzes, in schol. ad exeg. Il. p. 131. Herm. summa audacia haec pronuntiat: *Νίκ. ὁ Κολ. — ἐν τῷ τέλει τῶν Θηριακῶν Κολοφώνιόν φησιν εἶναι τὸν Ὅμηρον, ἐπαίρων κἀκ τούτου ἐγκωμιάζων αὐτόν. κτλ.* Ceterum quae in scholiis Homericis Nicandro tribuuntur, aut ex carminibus eius petita sunt aut e Glossis fluxisse videntur.

Nicander poeta neque in compositione carminum, neque in argumentorum delectu ab aetatis suae ingenio recessit: de quo post splendidissimas Bernhardyi disputationes accuratius exponere non attinet. Reconditae autem eruditionis laudes magis ei cordi fuerunt quam laurus Apollinis, neque altiore et quasi divino spiritu elatus carminibus fingendis magis sese accinxit quam Callimachus, Aratus, Lycophro, alii. Studia tantum grammatica, historica, mythologica, medica, carminibus artificiose structis doctissimo cuique aequalium probare voluit, qui poeticam virtutem sola doctrina et doctrinae ostentatione metiebantur. Doctrina autem aequales aequavit, plurimos superavit Nicander. Haec igitur carmina ad didacticum genus referenda sunt omnia, quibus reconditas inprimis fabulas proposuit, triplici ratione et more illorum poetarum, de quo Merkelius disputat in prolusione ad Ovid. Ib. p. 346. Aut enim minoribus poematis variae proponebantur fabulae, quae de una quadam agebant persona, id quod Euphorionem in Hippomedonte, Callimachum in Cydippe, Hecale, Semele, Eratosthenem in Erigone fecisse scimus. Nicandri huc referre libet Hyacinthum, quem Wegnerus p. 174. minus bene physicis accenset carminibus[1]), et Europiam, cujus extant pauca

---

1) Hyacinthum commemoravit Schol. Nic. Ther. 585: *Δημήτριος ὁ Χλωρὸς τὴν βούπλευρον δένδρον εἶναί φησιν, οὐκ ἔστι δὲ, ἀλλὰ λάχανον, οὗ μνημονεύει Νίκανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑα-*

fragmenta. Aut majoribus carminibus ethnographicis eae continebantur fabulae, quae ad illustrandas singularum urbium gentiumve pertinerent antiquitates vel historiam. Huc Nicandri pertinent Colophoniaca, quorum partem fortasse liber de poetis Colophoniis effecit, Aetolica, Thebaica, Oetaica, Sicilia. Fabulae autem si eiusmodi erant, ut neque singulatim exponi, neque maiori cuidam *περιηγήσει* vel operi ethnographico inseri possent, tertium erat, ut in maiorem quandam redigerentur fabularum congeriem: ut Callimachus in Aetiis, in Mopsopia et Chiliadibus Euphorio, in Heteroeumenis autem sive Metamorphosium libris Nicander fecerunt.

Reliqua Nicandri scripta physici plerumque fuerunt argumenti aut medica, quorum Alexipharmaca et Theriaca etiamnum integra, Georgicorum haud pauca fragmenta supersunt. Melissurgica, Athenaeo semel laudata, partem tantum Georgicorum fuisse admodum verisimile videtur, quamquam Ungeri rationes, qui de Aem. Macro Nic. imitat. p. 10. hoc ex Plinii verbis: „Neoptolemo, qui *μελιττουργικὰ*, Aristomacho, qui item, Philisto qui item, Nicandro, Menecrate" — quibus Nicandri Melissurgica ne nominantur quidem, colligere sibi videtur, non assequor. Omnino paulo plus in rimandis Nicandreorum carminum titulis Ungerus sibi indulsit; nec placent quae p. 6 et 18 super libris Nicandri de avibus et viribus herbarum commentus est. Sed ut ad Nicandrum redeat oratio, eius Ophiaca praeterea laudantur, eumque scripsisse *ἰάσεων συναγωγήν*[2]) et *προγνωστικὰ δι' ἐπῶν* h. e. metaphrasin operis Hippocratici carmine heroico auctor est Suidas. Idem Nicandri *περὶ χρηστηρίων πάντων βιβλία τρία,*

κίνθῳ καὶ Ἐπαίνετος ἐν τῷ περὶ λαχάνων κτλ. Fabulas de flore hyacintho, cuius originem modo ad Hyacinthum puerum, modo ad alios heroes, velut Aiacem, rettulerunt veteres (v. Ovid. Metam. XIII, v. 395 – 398), peculiari carmine Bio quoque exposuerat, cf. Sch. Ther. l. l. Stob. ecl. I p. 170 et Euphorio, v. Meinek. An. Alex. p. 23. 2) Hanc significare videtur Caelius Aurelianus de morb. chron. I, 4 p. 71. ed. Haller. ubi postquam de probatorum medicorum contra epilepsiam remediis dixit, memorat etiam Nicandri tertium librum. Cf. Rosenbaum. ad Sprengel. hist. med. p. 594. Erravit Hallerus in bibl. botan. I. p. 54.

quamquam fluctuat apud eum scriptura, memoravit, de quorum argumento summa doctorum hominum est dissensio. Docte enim Schweighaeuserus, quem Meier. Comm. And. VI, 3 p. 1 probat, libro glossematico omnium utensilium nomina exposita fuisse censuit. Alii de oraculis cogitant; ac puto librum, qui disciplinam sacram et oracula tractaret, satis probabiliter in sacerdotem Clarii Apollinis cadere. Denique epigrammata scripsit, more illius aetatis, quae hoc carminum genere multum oblectabatur. Horum unum in Anthol. Palat. VII, 526 nominatim Nicandro Colophonio tribuitur; de aliis, quibus modo Nicarchi, modo Nicandri nomen inscriptum est, dubitatur: cf. Jacobs. Catal. poett. epigr. p. 922. Ceterum immane quantum lapsum esse Tzetzen in vita Lycophronis, qui Nicandrum inter Pleiadis auctores rettulit, iam Naekius monuit, Opusc. I. p. 4.

Videmus igitur diligentem et doctum poetam fuisse Nicandrum. Ἐποποιὸς φιλάρχαιος καὶ πολυμαθὴς ille vocatur Athenaeo III. p. 126 b. qui libros eius assidue evolverat: quantumque studium iis grammatici navarint, qui Theriaca imprimis lectitabant, doctissimis scholiis intelligitur, quae praecipuum interpretationis sunt adminiculum. Neque ignobilem eum habitum fuisse poetam, quem Plutarchus commentariis illustrandum sibi delegisset, plerique scholiorum auctores ostendunt, magnam partem probati grammatici, quos Bussemakeri praefatio diligenter enumerat. Lepide, sed honorifice tamen, doctum poetam tetigit sophista Samosatenus Dipsad. c. 9. Deinde Nicandrum imitantur Dionysius Periegetes (cf. Bernhardy p. 810), Colluthus, Christodorus (cf. Naek. Opusc. II. p. 152), alii. Notissimum porro Ciceronis est iudicium, quod de Nicandri Georgicis tulit, de orat. I, 16: „de rebus rusticis homo ab agro remotissimus, Nicander Colophonius poetica quadam facultate, non rustica, scripsit praeclare." — Iam aetate Augusti, qua poetae Romani Alexandrinorum carmina diligenter tractarunt, etiam Nicander suos invenit admiratores, Aemilium Macrum, Ovidium, Virgilium, alios. Et de Macro quidem, Nicandri imitatore, uberrime Ungerus egit in libello, cuius iam supra feci mentionem. Inter Graecos autem fontes, e quibus Ovidius Metamorphosium fabulas

hausit, apertis verbis Valerius Probus p. 44, 15. Keil. etiam Nicandrum commemorat. De Virgilio autem e Quintiliani verbis X, 1, 56 constat: „Quid? Nicandrum frustra secuti Macer et Virgilius?" — Et Theriacorum quidem vestigia quaedam apud Virgilium viri docti agnoverunt, cf. Heyn. praef. Georgic. T. I. p. 213 ed. 3. Spalding. in Quintil. T. IV. p. 46; quantum vero Nicandri Georgicis debuerit Virgilius, e fragmentis diiudicari non posse non est quod miremur: quapropter neque Ungeri placet sententia, qui Virgilii nomen cum Valgii, quem Plinio teste de herbis scripsisse scimus, commutandum esse censuit. Ipse Plinius Nicandri doctrinam saepissime suum convertit in usum. Illud potius mirari subit, quid sit cur Nicandri medici memoria apud scriptores rerum medicarum prorsus intermortua sit, vix ut semel a Galeno, Dioscoride, Oribasio vel medicis Romanis[1]) commemoretur. Fortasse huc valuit, quod Nicander empirica tantum ratione disciplinae medicae usus est, a qua recentiores medici paullatim recesserunt (cf. Sprengel hist. med. p. 594 Rosenb.); nisi forte paraphrastarum opera et epitomatorum ipsi Nicandro praeferebantur.

Quae cum ita sint semper miratus sum, adhuc Nicandrum fere iacuisse, cuius scripta tam rerum naturalium quam grammaticarum studiosis utilissimam exercendi ingenii et augendae doctrinae praebeant provinciam. Nec praeter Schneiderum et Lehrsium quemquam scio, qui de Nicandro bene meruerit. Horum Schneiderus interpretis et critici munere mediocriter functus est: textum enim opera tumultuaria recensuit, quamquam excusari debet, qui optimorum codicum auxiliis fuerit destitutus; elocutionem Nicandri ac res grammaticas et metricas parum curavit in commentariis; fragmenta denique negligenter collegit. Lehrsius autem, cuius novissime prodiit Nicandri editio, meliora dedisset, nisi fato occubuisset praematuro. Itaque nobis in campum fere derelictum descendere placuit, et curas quantulascunque in colligendis et illustrandis Nicandri fragmentis ponere.

1) Cael. Aurel. verba supra attuli. Sed nescio an huc pertineant Glossarum fragmenta, quae infra posui ex Erotiani glossario Hippocratis petita.

Caput II.

Exordiamur a Glossis Nicandri: quarum plurima fragmenta cum inveniantur apud Athenaeum, nescio quo casu Schweighaeuseri in indice omissa, multis ne innotuerunt quidem. Sed lexicorum scriptores Nicandri Colophonii glossas citant rarius, quam glossematica Thyatireni opuscula. Quo factum ut illius fragmenta in hunc transferrentur, eumque in singulis O. Schneider. de schol. in Aristoph. fontt. p. 95, universe Bernhardyus in hist. litt. Gr. II. p. 1042 agnoverunt. At Athenaeus multis in locis glossas Nicandro Colophonio, poetae epico, non ambigue tribuit. Neque vero defuerunt, qui Nicandrum Thyatirenum a Colophonio non differre statuerent, ut Fabricius Bibl. Gr. V. p. 345. Harl., a Stephano Byzantio profectus v. *Θυάτειρα*, ubi haec leguntur: *τὸ ἐθνικὸν Θυατειρηνός· ἀφ᾽ οὗ καὶ Νίκανδρος γραμματικὸς Θυατειρηνὸς ἢ Κολοφώνιος.* Sed postrema verba, ut imperiti sive scribae sive epitomatoris additamentum, praeeunte Meiero Comm. Andocid. VI, 3 p. 8 n. 135, uncis Meinekius seclusit. Nec leve discrimen inter utrumque grammaticum interesse Athenaei quibusdam locis probatur, quibus eiusdem vocabuli diversas utriusque proponit explicationes.

De ipso glossarum studio apud grammaticos Alexandrinos post Lehrsii, Meieri[1]) et Osanni nuperas disputationes accuratius exponere, neque huius loci neque meum est. Unum tantum monere libet: glossographorum nomine cum eos grammaticos comprehensos fuisse verisimile sit, quorum in interpretandis vocabulis auctoritas post accuratiora Aristophanis Aristarchique studia evanescere coepit, ita ut raro et in difficillimis quaestionibus citarentur, nec fere nominatim, nisi ipsi in diversas abissent partes, eadem sors etiam ad Nicandrum pertinuit. Huc facit imprimis Schol. in Il. A. 329. ubi tres vocabuli *μάσταξ* proponuntur interpretationes, prima quidem simplicior, ut sit *ἡ μεμασημένη τροφή*, secunda Nicandri, *μάστακα τὴν ἀκρίδα* interpretantis, tertia vero

1) Qui Comm. Andocid. unus paene Nicandri poetae glossas vindicavit.

uberioribus verbis, *ὅτι οἱ γλωσσογράφοι μάστακα τὴν ἀκρίδα, δέον μάσημα καὶ βρῶμα· ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτὸ τὸ στόμα ὁμωνύμως· καθάπερ τὸν χοίνικα τὸ μέτρον καὶ τὸ μετρούμενον.* Ceterum cum „glossas sive promiscuas, sive singulares, vel unius gentis, urbis regionis insulaeve, vel unius artis vel unius scriptorum poetarumve generis, vel unius certe cuiusdam poetae scriptorisve" grammaticorum illorum glossariis collectas esse constet, equidem ad prius genus promiscuum glossas Nicandri revocaverim, motus ipsa fragmentorum natura.

Iam per se apertum est glossas Nicandri prosa oratione fuisse compositas. Quodsi tamen duobus in locis versus ex iis allegantur, hoc cum Bussemakero (annot. crit. in Schol. Nic. p. 651) ita interpretabimur, ut non ipsos Nicandri versus, sed nescio cuius auctoris ab Nicandro adhibiti servatos esse credamus. Eam vero sententiam luculenter Scholio Ther. 382 firmare licet, dummodo genuina e codicibus revocetur scriptura. Nam quae vulgo ibi leguntur (fr. 37 Lehrs. Schn. p. 455) *τὴν μάλκην φησὶ Νίκανδρος ἐν Γλώσσαις ῥῖγος περὶ τοὺς πόδας καὶ χεῖρας καὶ ὑποδήματα ὑποτιθεῖσι πνεύματος ἀργαλέοιο πόνοιό τε μαλκείοντες*, prorsus inepta sunt. Sed codex Vaticanus optimae notae, cuius apographum humanitas Henrici Keilii mecum communicavit, cum *ὑποδείγματα ὑποτίθησιν* exhibeat, in promptu est *καὶ ὑποδείγματα παρατίθησιν* (vel potius *παρατίθεται*) legere, hoc est, Nicander sententiam suam his scriptorum locis munit; vide de verbo *παρατίθημι* Bastium in Gregor. Corinth. p. 348 et Schaefer. in Dionys. de comp. verb. p. 84. 359. Melett. critt. p. 25. In ipso versu Lobeckius in Phryn. p. 82 *μαλκιόωντες* scribi iussit, quod in Hes. Opp. 532 olim a Cratete legebatur, v. Etym. M. p. 594, 46. Sch. Hes. p. 318 Gaisf. Neque aliter statuo de versu e Nicandri glossis a Schol. in Aristoph. Eqq. 408 citato; quem Suidas v. *Βάκχος* et Eudoc. Violet. p. 87 exscripserunt; quamquam ibi dubium est, quid Nicandro debeatur. Nam postquam expositum est a scholiastis, Bacchum non solum deum ipsum, sed etiam *τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια* vocari et ramos quos mystae gestabant, ita pergitur: *ἔστι δὲ καὶ στεφάνης εἶδος, ὡς Νί-*

κανδρος ἐν τῷ περὶ τῶν γλωσσῶν ἱστορεῖ· φησὶ γὰρ οὕτως

Βάκχοισιν κεφαλὰς περιανθέσιν ἐστέψαντο.

Ubi quaedam excidisse iam Bernhardyus monuit in Suida.

Glossarum autem fragmenta, quarum tertium librum citat Athenaeus, praeter eos versus, quos solos verborum contextu solutos Schneiderus proposuit, haec inveni.

E secundo libro: III. Athen. II. p. 69, d. *Νίκανδρος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν δευτέρῳ Γλωσσῶν βρένθιν λέγεσθαί φησι παρὰ Κυπρίοις θρίδακα, οὗ ὁ Ἄδωνις καταφαγὼν ὑπὸ τοῦ κάπρου διεφθάρη.* De morte Adonidis satis superque poetae antiqui tradiderunt. Fatalem vero lactucae gustum qui commemorarit, neminem scio. Ceterum ex Athenaeo sua hauserunt Lex. Rhet. in Bekk. Anecd. p. 223, 12. *Κύπριοι βρένθισιν τὴν θρίδακα* et Etym. M. p. 213, 43 ex Is. Vossii emendatione, *βρένθιν τὴν θρίδακα.*

IV. Athen. III. p. III, c. *Βάκχυλος δ' ἐστὶν ἄρτος σποδίτης παρ' Ἠλείοις καλούμενος, ὡς Νίκανδρος ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν ἱστορεῖ:* cf. Hesych. v. — *Βακχύλος* scribendum censebat Boisson. in Aristaen. p. 441, cui tamen repugnant Lobeckio Pathol. p. 126. 599. collecta. Ceterum hoc fragmentum mihi cum secundo apud Schol. Arist. Eqq. 408 cohaesisse videtur.

E tertio libro: V. Athen. VII. p. 288, c. *Νίκανδρος δὲ ὁ ἐποποιὸς ἐν τρίτῳ Γλωσσῶν καλεῖσθαί φησιν αὐτοὺς* (sc. *τοὺς γόγγρους*) *καὶ γρύλους.* Scribendum esse vocabulum per unum *λ* ex Arcad. p. 52, 24. Lud. Dindorf. in Thes. Paris. II, 792 effecit. Sed congros hoc nomine appellatos esse aliunde non constat; nam porcos vel porcellos ita vocant Graeci. Cf. tamen Hesych. v. *γογγρύζειν.*

VI. Athen. IX. p. 392, a: *Ἠλεῖοι δὲ καλοῦσι τοὺς στρουθοὺς δειρήτας, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Κολοφώνιος ἐν τρίτῳ Γλωσσῶν.*

Fragmenta sedis incertae haec sunt: VII. Athen. III. p. 110, d: *Νίκανδρος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν ταῖς Γλώσσαις τὸν ἄζυμον ἄρτον καλεῖ δάρατον.* Ita Thessali panem vocabant, teste Seleuco ap. Ath. 114, b.

VIII. Athen. VII p. 306, d. *Νίκανδρος ὁ Κολ. ἐν Γλ. τὸν καρχαρίαν καλεῖσθαί φησι καὶ λάμιαν καὶ σκύλλαν.*

Aristoteles aliique *σκύλια*, pisces e canum marinorum genere, laudant. Athenaeum exscripsit Eust. in Od. p. 1714, 35.

IX. ibid. p. 309, c. *Σικελιῶται δ' εἰσὶν οἱ τὸν κωβιὸν κώθωνα καλοῦντες, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Κολ. ἐν ταῖς Γλώσσαις.* Arcadius p. 42, 3. *κωβίος* non *κωβιὸς* acuendum esse praecipit: cf. Meinek Fr. Com. I. p. 530. Numenius in Halieuticis hos pisces *κώθους* vocavit, non *κώθωνας*, unde emendanda Hesychii glossa, *κῶθυ. κωβιός.* L. *κῶθος. κωβίος.*

X. Ath. IX p. 369, a. *Γογγυλίδες] ταύτας Ἀπόλλας ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεων ὑπὸ Λακεδαιμονίων γαστέρας φησὶ καλεῖσθαι. Νίκανδρος δ' ὁ Κολ. ἐν ταῖς Γλ. παρὰ Βοιωτοῖς γάστρας ὀνομάζεσθαι τὰς κράμβας, τὰς δὲ γογγυλίδας ζακελτίδας.* Hunc qui exscripsit Eustathius pro *γάστρας* habet *γαστέρας* p. 1577, 63. Hesychius cum *γογγυλίδα* propter globosam formam Lacedaemonios *γαστραίαν* vocasse tradat, ipsi Athenaeo *γαστραίας* pro *γαστέρας* reddi malim.

XI. Ath. XI p. 475, d. *Νίκανδρος δ' ὁ Κολ. ἐν ταῖς Γλ. ποιμενικὸν ἀγγεῖον μελιτηρὸν τὴν κελέβην εἶναι (φησίν).* — Haec Nicander, Antimachum puto secutus, in cuius fragmentis *κελέβειον ἔμπλειον μέλιτος* vel *μέλιτος πεπληθὸς* extat fr. 18—20. Stoll. p. 48. Nicandrea vero in Hesychium transierunt: *κέλεβη* (l. *κελέβη*) *ποτηρίον εἶδος θερμηροῦ καὶ ποιμενικὸν ἀγγεῖον.* Scribe *θερμαντηρίου*: nam vereor ut vasa *θερμηρὰ* ea quae calorem, tamquam oleum vel aquam contineant (v. Lobeck. Pathol. p. 264), dici possint.

XII. Ath. XV. p. 679, c: *Πόθος· οὕτως τις στέφανος ὀνομάζεται, ὡς Νίκανδρός φησιν ὁ Κολοφώνιος ἐν Γλώσσαις.* Florem, quo tumuli exornabantur, ita vocatum novimus e Theophr. H. Pl. VI, 7. VIII, 3. cf. Schneid. V p. 484 et Plin. H. N. XXI, 11.

XIII. Id. p. 681, b. *Φιλῖνος δὲ τὸ κρίνον ὑφ' ὧν μὲν λείριον, ὑφ' ὧν δ' ἴον καλεῖσθαι (φησι). Κορίνθιοι δ' αὐτὸ καὶ ἀμβροσίαν καλοῦσιν, ὥς φησι Νίκανδρος ἐν Γλώσσαις.* Athenaeum exscripsit Eust. p. 1295, 17. cf. Hesych. v. *ἀμβροσίη.*

Fragmenta dubia Glossis adscribenda haec esse censui:

XIV. Athenaeus XI p. 485, d. ubi enumerat grammaticorum explicationes vocabuli *λεπαστὴ* sive *λεπάστη*, etiam Nicandri sententiam proposuit, qui *Δόλοπας οὕτω καλεῖν τὴν κύλικα* dixerat. De vocabulo cf. Lob. Phryn. p. 256.

XV. Athen. XV. p. 701, a (cf. 699, d): *ἑλάνη δὲ ἡ λαμπὰς καλεῖται, ὡς Ἀμερίας φησί. Νίκανδρος δὲ ὁ Κολοφ. ἑλάνην τὴν τῶν καλάμων δέσμην*, i. e. arundinum manipulum.

XVI. Ad easdem Glossas etiam Athenaei locum refero XI. p. 432, a, ubi Nicandrea in verbis Sileni latent. Sunt autem haec: *Σειληνὸς δέ φησι· κύπελλα ἐκπώματα σκύφοις ὅμοια, ὡς καὶ Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος.*

κύπελλα δ' ἔνειμε συβώτης.

Novissima leguntur in Odyss. *υ*. 253. Itaque suspicor consentientem Sileni et Nicandri interpretationem vocabuli *κύπελλα* propositam esse ab Athenaeo, cui muniendae vel ipse vel alius grammaticus exemplum illud Homericum addidit. Quapropter majore distinctione poetae verba a Nicandri nomine dijungenda sunt, neque ea Schneiderus pro ipsis Nicandreis habere debebat.

XVII. Athen. III. p. 105, c.: *κολύβδαιναν δ' εἴρηκεν Ἐπίχαρμος ἐν τοῖς προεκκειμένοις* (dicit Hebae nuptias), *ὡς μὲν Νίκανδρός φησι, τὸ θαλάσσιον αἰδοῖον, ὡς δ' ὁ Ἡρακλείδης ἐν Ὀψαρτυτικῷ τὴν καρῖδα.*

XVIII. Athen. III. p. 114, c.: *Νίκανδρος δὲ θιαγόνας φησὶν ἄρτους ὑπ' Αἰτωλῶν καλεῖσθαι τοὺς τοῖς θεοῖς γινομένους.* Cf. Hesych. s. v. Nicandri Aetolica spectari his verbis Meierus putavit.

XIX. Schol. Ven. Il. XIII, 824: *Νίκανδρος δέ φησιν ὅτι Δουλιχιῶται καὶ Σάμιοι τοὺς ἐσθίοντας τὸ γάλα, μηδὲν δὲ ἰσχύοντας βουγαΐους καλοῦσιν.* Omisso auctoris nomine eadem habet Eustathius. De vocabulo ejusque etymologia cf. Doederlein. Gloss. Hom. I, p. 80.

XX. Etym. M. v. *ἀνδράγρια*: *ἀνδρ. τὰ σκῦλα· ἤτοι ὅτι ἀπὸ ἀνδρῶν ἀγρεῖται, ἢ ὅτι ἀντὶ ἀνδρῶν· ὅταν γὰρ μὴ δυνηθῶσιν ἀνάγειν αὐτοὺς αἰχμαλώτους, τότε τὰ ὅπλα αὐτῶν σκυλεύουσιν· οὕτως Ὧρος· προπαροξύνεται δὲ, ὡς τὰ*

ζωάγρια μοιχάγρια. Νίκανδρος δὲ τὰ κατ᾽ ἄνδρα λάφυρα. Πτολεμαῖος δὲ σκῦλα ἠρημένα παρὰ ἀνδρῶν. Breviavit Eust. p. 999, 52. Reliqui vero scholiastae et lexicographi, quibus Ori et Ptolemaci praevaluit explicatio, de Nicandro tacent.

Haec omnia ad Glossas referenda esse plerique concesserint. Minus certa res est in iis quae subjiciam fragmentis; nisi enim verborum explicationes iis continerentur, ne ipse quidem de Glossis cogitassem.

XXI. Etym. M. p. 39, 9: *Αἰσυητὴρ, ὡς μέν τινες, ὁ ἐντρεχὴς καὶ κεκοσμημένος· τινὲς δὲ νεανίαν· Νίκανδρος νομέα· Ὅμηρος δὲ μᾶλλον ἐπὶ τοῦ κοσμίου καὶ καθήκοντος κτλ.* — Nicandri explicatio apud Eust. redit p. 1353, 55, *κατὰ δέ τινας νομεὺς* et qui pinguius *χοιροβοσκὸς* addunt, Suidam et Zonaram. Sed mireris in *ἅπαξ εἰρημένῳ* talem interpretationem, cui neque etymologia neque enuntiati natura in Il. *Ω*, 347. favet. Itaque vereor ne Nicander *αἰσυητὴρ* per *νόμιος* interpretatus sit, ut in Schol. Veneto legitur, eo significatu, quem Hesychius exhibet *νόμιος. δίκαιος.*

XXII. Hesych. *μέσκος, κώδιον, δέρμα· Νίκανδρος.* Usitatius est *πέσκος,* quod corticem radicis notat in Ther. 548, vel *πέκος.*

XXIII. Apud eundem: *ἀθελβεῖν. ἕλκειν. Νίκανδρος.* Sequitur: *ἀθέλγειν.* Ipsum *ἀθέλγειν* pro *ἀθελβεῖν* utrobique recte, opinor, H. Stephanus; quod vocabulum quoniam non Atticum est, neque de Thyatireno cum Sopingio et Meiero cogitandum videtur. Sed Hesychii locum verba Erotiani in gloss. Hippocr. v. *ἀθέλγηται* excipiant: *Βακχεῖός φησι θηλάζηται ἢ ἐπισπᾶται. Ἐπικλῆς δὲ ἐκπιέζηται καὶ ἐκθλίβηται, ὡς καὶ Νίκανδρος ἐξηγεῖται,* h. e. sugendo detraho.

XXIV. Hesych. v. *τριτώ: Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιός φησι τὴν κεφαλὴν* (adde *οὕτω*) *καλεῖν Ἀθαμᾶνας.* Cf. Suid. et Phot. s. v. Eustath. p. 504, 24. Haec notio Cretica est. Aeolica dicitur Schol. Aristoph. et Diacono ad Hesiod. p. 203. Lips.

XXV. Hesych. v. *κλίσις* (l. *κλισίη*): *σκηνή. καθέδρα. καὶ ἡ ἔπαυλις ἀπὸ τοῦ κλίνεσθαι ἐν αὐτῇ τὰ θρέμματα. καὶ πρόθυρον Νίκανδρος.* Extrema desunt in Apollon. Lex. p. 100, 16. Bekk. Ceterum de Thyatireno sine causa cogitavit Soping.

XXVI. Schol. Venet. Il. I, 324 *μάσταx'*] *Νίκανδρος, τὴν ἀκρίδα.* Respexit autem Nicander sine dubio Sophoclis locum fr. 462, a. ubi *μάστακας* Photius *ἀκρίδας* interpretatus est p. 248, 18 et Eust. p. 1493, 53. Eundem significatum habet etiam in Ther. v. 802. Plerumque vero *μάσταξ* explicatur *στόμα*, quod optime quadrat in Odyss. *δ*, 287. *ψ*, 76. Neque in Iliadis loco defuerunt, qui eandem significationem retinerent, ita ut rostrum esset. cf. Spitzner. ad h. l.

XXVII. Erot. Gloss. Hippocr. p. 146. Steph. *ἐκθήλυσις*] *ἔκτηξις καὶ ἰσχνότης. Νίκανδρος δὲ ἀντὶ τῆς ἐκμαλθάξεως αὐτὴν τέθεικεν.* Item p. 154: *ἐκθήλυνσις· ἔκτηξις καὶ ἰσχνασία.* Hodie apud Hippocratem haec sola forma legitur.

XXVIII. Glossarum locum Meierus agnovit in Schol. Il. Z, 506: *ἀκοστήσας*] *ἄκος τῆς στάσεως λαβὼν, τουτέστιν ἴαμα, καὶ κριθιάσας. κυρίως δὲ αἱ πᾶσαι τροφαὶ ἀκοσταὶ καλοῦνται, ὡς καὶ Νίκανδρος, παρὰ τὸ ἵστασθαι τὰ σώματα τρεφόμενα.* Sed corruptum esse hoc scholion iamdudum Buttmannus docuit Lexil. II. p. 173. n. Primum enim *κυρία* vocabulorum notio nunquam ex idioticis peti potest. Deinde Nicander aut nunquam aut rarissime etymologias exhibuisse videtur in Glossis. Accedit quod in reliquis scholiis et commentariis haec verba prorsus aliter leguntur, ut apud Eust.: *ἀκοστῆσαι δὲ τὸ πολυκριθῆσαι κατὰ τοὺς παλαιοὺς ἤγουν τὸ κριθιᾶσαι· ἀκοσταὶ γὰρ αἱ κριθαὶ, ὅπερ φασὶν ἐξ Ὁμήρου μὲν οὐ δείκνυται, παρὰ δέ γε Νικάνδρῳ* (Alex. 105) *καὶ ἄλλοις κεῖται. οἱ δὲ παλαιοί φασι καὶ πάσας τὰς τροφὰς παρὰ Θεσσαλοῖς ἀκοστὰς λέγεσθαι.* Adde schol. Venet. B. Itaque verba *παρὰ Θεσσαλοῖς* — *Νίκ.* utpote aliunde invecta deleri iussit Buttmannus. Fortasse tamen transpositis verbis ita legendum: *ἄκος τῆς στάσεως λαβὼν, τουτέστιν ἴαμα. κυρίως δὲ κριθιάσας ὡς καὶ Νίκανδρος. καὶ αἱ πᾶσαι τροφαὶ ἀκοσταὶ καλοῦνται παρὰ Θεσσαλοῖς, παρὰ τὸ ἵστασθαι τὰ σώματα τρεφόμενα κτλ.* quamquam ne sic quidem persanata sunt omnia. Hesychiana *ἀκοστή. κριθὴ παρὰ Κυπρίοις* mutila mihi videntur.

Ceterum Photii verba p. 466: *φαλάγγειον* (l. *φαλάγ-*

γιον) γένος ὄφεως ὥς φησι Νίκανδρος, quae ad glossas sive Thyatireni sive Colophonii Meierus rettulit, ad Ther. v. 8. retrahenda censeo, ubi scholia: *φαλάγγια· εἶδος μικρῶν ὄφεων*. Denique Schol. Theocr. III, 52: *ἀλγέω τὰν κεφαλάν] Νίκανδρος· κεφαλὰν ὡς ἡμέραν, πολλὰ γὰρ σώζεται παρὰ Συῤῥακουσίοις*, Glossarum locum inesse aliquis censeat. Sed haec manca esse et misere decurtata, ut vix intelligi possint, nemo non videt. Equidem pro Nicandro Nicanoris Stigmatiae nomen, inter commentatores Theocriteos haud ignotum, reponendum esse suspicor.

Caput III.

De rebus Colophoniorum multi ante Nicandrum scripserunt auctores. Velut Aristoteles in libro de *Κολοφωνίων πολιτείᾳ*, Erxias in Colophoniacis v. Athen. XIII, 561. f. et Heropythus cuius *ὧροι Κολοφωνιακοὶ* ab eodem VII, p. 297. e. laudantur. Iam Xenophanem carmen de *κτίσει Κολοφῶνος* composuisse Diog. Laert. docet IX, 2, 3. Neque tot scriptores ad eam urbem mireris attendisse, quae et inter Ionicas urbes primarium locum fere semper tenuisset, ita ut recte *ἄστρον Ἰηονίης* vocaretur (cf. Anthol. IV, 27, 4), et origines haberet fabularum ambagibus obscuratas. Itaque huius urbis, quacum pietatis vinculo iunctus erat, descriptio antiquaria et historica docto poetae gratissima esse debuit, ut splendidum doctrinae studiorumque monumentum ei consecraret. Nullum tamen Nicandri carminis superest fragmentum eiusque memoriam bis tantum inveni; nisi forte scriptorum locos, quibus Nicandri continentur verba, ex incertissima coniectura huc referimus.

Athenaeus autem XIII, p. 569, d. haec habet: *καὶ Φιλήμων δ' ἐν Ἀδελφοῖς* (fr. 2 Mein.) *προσιστορῶν ὅτι πρῶτος Σόλων διὰ τὴν τῶν νέων ἀκμὴν ἔστησεν ἐπὶ οἰκημάτων γύναια πριάμενος, καθὰ καὶ Νίκανδρος ὁ Κολοφωνιακὸς ἱστορεῖ ἐν τρίτῳ Κολοφωνιακῶν, φάσκων αὐτὸν καὶ πανδήμου Ἀφροδίτης ἱερὸν πρῶτον ἱδρύσασθαι ἀφ' ὧν ἠργυρίσαντο αἱ προστᾶσαι τῶν οἰκημάτων.*

Accedit Harpocr. v. *πάνδημος Ἀφροδίτη* p. 144. Bekk. *Νίκανδρος ἐν ς' Κολοφωνιακῶν* (l. *γ'*, nam maior fides hic

ut in reliquis Athenaeo) *Σόλωνά φησι σώματα ἀγοράσαντα εὐπρεπῆ ἐπὶ στέγης στῆσαι διὰ τοὺς νέους, καὶ ἐκ τῶν περιγενομένων χρημάτων ἱδρύσασθαι Ἀφροδίτης πανδήμου ἱερόν κτλ.* — De re, ad quam Dio Chrys. VII p. 271 R. allusit, cf. Plut. Sol. c. 15, et si qui de cultu *Ἀφρ. πανδήμου* edoceri cupiunt, adeant Athen. XIV, 659 d. coll. Boeckh. C, I. 470. Siebel. in Pausan. I, 22, 3 p. 74.

Plinii verba, H. N. XXXVI, 25: „Magnes appellatus est ab inventore, ut auctor est Nicander, in Ida repertus" — ad Colophoniaca rettulit Heyn. dissert. antiqq. II, p. 109. Possunt etiam ad Heteroeum. l. III referri, in quo totam de Magnete fabulam exposuisse videtur Nicander, v. Ant. Liber. 23.

Eodem saltem iure Colophoniacis ea adscribam, quae apud Suid. v. *Εὐρύβατος* et Mich. Apost. IX, 33 leguntur: *Εὐρύβατος ἤτοι πονηρός. ἀπὸ τοῦ πεμφθέντος ὑπὸ Κροίσου ἐπὶ ξενολογίαν, ὥς φησιν Ἔφορος, εἶτα μεταβαλλομένου πρὸς Κῦρον· οἱ δὲ τὸν Κέρκωπα τὸν ἕτερον. Διότιμος Ἡρακλέους ἐν ἄθλοις·*

Κέρκωπές τοι πολλὰ κατὰ τριόδους κατιόντες
Βοιωτῶν σίνοντο· γένος τ' ἔσαν Οἰχαλιῆες,
Ὠλός τ' Εὐρύβατός τε δύω βαρυδαίμονε ἄνδρε.

Νίκανδρος· Αἰγίνεον.. Εὐρύβατον πανουργότατον. De Eurybato vel Eurybate (sic Gregor. Cor. in Hermog. Rh. Gr. VII, 2 p. 1277. Walz. cf. Eust. Il. p. 92. *Εὐρυβάτην — ὃν οἱ πλείους Εὐρύβατον λέγουσιν.*) v. Taylor. ad Aesch. 73, 12. Boisson. Aristaen. p. 513. Lobeck. Aglaoph. p. 1306. Leutsch. ad Diogen. IV, 76.

Putavit autem Wegnerus partem Colophoniacorum fuisse librum de poetis Colophoniis. Eiamsi haec mera est coniectura, quam neque probare neque refutare libet, aptum tamen videtur hoc in narrationis ordine illius quoque libri facere mentionem.

Caput IV.

Scripsit autem Nicander librum de poetis Colophoniis, teste Schol. Ther. 3: *καὶ αὐτὸς δ' ὁ Νίκανδρος μέμνηται τοῦ Ἑρμησιάνακτος ὡς πρεσβυτέρου ἐν τῷ περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν.*

Eundem sine dubio librum Parthenius inter fontes narrationis quartae de Oenone posuit, cui superscriptum est: *ἱστορεῖ Νίκανδρος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν καὶ Κεφάλων ὁ Γεργίθιος ἐν Τρωικοῖς.* Fragmentum indidem nobis servavit Parthen. c. 34, in quo Nicander Corythum non pro Oenonae, sicut Hellanicus in Troicis et Cephalo Gergithius, sed pro Alexandri et Helenae filio habuisse traditur. Hoc enim fragmentum ad librum de poetis, non vero ad metamorphoses pertinere, ad quas falso rettulerunt Schneiderus et Lehrsius, e capite 4. manifestum est. Verba Parthenii haec sunt (fr. XXI Schn.): *Νίκανδρος μέντοι τὸν Κόρυθον οὐκ Οἰνώνης, ἀλλὰ Ἑλένης καὶ Ἀλεξάνδρου φησὶ γενέσθαι, λέγων ἐν τούτοις· ἠρία τ' εἰν Ἀίδαο κατοιχομένου Κορύθοιο,*
ὅντε καὶ ἁρπακτοῖσιν ὑποδμηθεῖσ' ὑμεναίοις
Τυνδαρὶς αἴν' ἀχέουσα κακὸν γόνον ἤρατο βούτεω.

Aliud vero eiusdem carminis fragmentum Vitae sive Generi Nicandri, quod initio Theriacorum praemittitur, inesse dudum mihi persuasi. Priorem eius partem integram apponere libet: *Νίκανδρον τὸν ποιητὴν Διονύσιος ὁ Φασηλίτης ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀντιμάχου ποιήσεως Αἰτωλὸν εἶναί φησι τὸ γένος, ἐν δὲ τῷ περὶ ποιητῶν ἱερέα φησὶν αὐτὸν τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐκ προγόνων δεξάμενον τὴν ἱερωσύνην· καὶ αὐτὸς δὲ ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἐν τῷ τέλει τῆς βίβλου* (Ther 958.) *φησίν·* *τὸν ἔθρεψε Κλάρου νιφόεσσα πολίχνη.*
Κλάρος δὲ τόπος ἐστὶν Ἀπόλλωνος ἱερός· υἱὸν δέ φησιν αὐτὸν Δαμαίου, οὕτω λέγων· αἰνήσεις κτλ. Insunt autem his verbis haud pauca, quibus iure aliquis offendatur. Primum enim notanda sunt verba *καὶ αὐτὸς δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ* rell., quibus Theriaca ita allegantur, quasi nullum praeterea carmen Nicander composuisset. Sequuntur alii versus eiusdem, sed unde petiti sint, frustra circumspicimus. Deinde Nicandrum scripsisse librum *περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν* scimus, iam Parthenio simpliciter *περὶ ποιητῶν* vocatum, non vero Dionysium Phaseliten, ignotum grammaticum, quem unus praeterea Schol. Pind. Pyth. II commemorat, cuius si unquam opus extitisset *περὶ ποιητῶν,* qualia Didymi aliorumque ferebantur, eius ne notitiam quidem perdurasse mirarer. Et has quidem puto ob causas Passovius in Parthen. p. 52 annotavit: „Ex

eodem de poetis libro, in quo neque sui immemor fuerat Nicander, hausit auctor *γένους Νικάνδρου*, in cuius initio *ἱερέα φησὶν αὑτὸν* reponendum: vulgo *αὐτόν*. Ceterum istum Nicandri librum versibus adstrictum fuisse, fragmento in eadem Nicandri vita servato docemur.“ — Recepta autem hac emendatione sequentia verba eo magis perversa videbuntur, quoniam nemo non ad Nicandri *περὶ ποιητῶν* carmen referenda ea esse censebit. Sed quoniam veri dissimile videtur, hanc uberiorem olim vitam Nicandri tam inepte breviatam fuisse, crediderim potius interpolata esse verba, sic ut sequentia ab eo proficiscerentur, qui cum in Theriacorum fine eadem invenisset, quae de patria Nicandri vidisset in libro *περὶ ποιητῶν*, haec in margine libri notaret, unde prava aliorum sedulitas annotationem in ipsam Nicandri vitam temere intulit. Totum vero locum ita legendum esse censeo: *αὐτὸς δὲ ἐν τῷ περὶ ποιητῶν ἱερέα φησὶν αὑτὸν τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐκ προγόνων τὴν ἱεροσύνην δεξάμενον, υἱὸν δὲ Δαμαίου, οὕτω λέγων·*

αἰνήσεις υἷῆα πολυμνήστοιο Δαμαίου.

Χρόνῳ δὲ ἐγένετο κατ᾽ Ἄτταλον τὸν τελευταῖον ἄρξαντα Περγάμου, ὃς κατελύθη ὑπὸ Ῥωμαίων (v. supra p. 2.), *ᾧ προσφωνεῖ λέγων οὕτως·*

Τευθρανίδης, ὦ κλῆρον ἀεὶ πατρώιον ἴσχων,
κέκλυθι, μηδ᾽ ἄμνηστον ἀπ᾽ οὔατος ὕμνον ἐρύξῃς,
Ἄτταλ᾽, ἐπεί σεο ῥίζαν ἐπέκλυον Ἡρακλῆος
εἰσέτι Λυσιδίκης τε περίφρονος, ἣν Πελοπηὶς
Ἱπποδάμη ἐφύτευσεν, ὅτ᾽ Ἄπιδος ἤρατο τιμήν.

Ex Eudocia quae verba *δεξάμενον χρόνῳ* et sequentia omisit, nihil colligi potest, quo firmetur interpolationis suspicio. Sed videamus singula. Versu primo *αἰνήσεις*, quod flagitat usus poetarum epicorum, pro vulgato *αἰνέσσεις*, dedi cum codd. Vatic. et Gotting. Ex iisdem libris *Δαμαίου* scripsi pro *Δαμναίου*, quae forma neque prosodiae convenit neque Graeca est.[1]) Accusativus *υἷῆα* ex hoc tantum

---

1) Correptio vocalis ante *μν* a versu heroico semper aliena fuit: v. Naeck. opusc. I. p. 31. Alexiph. 92. pro *ῥαδάμνους* e cod. Gotting. scribi debuit *ῥαδαλούς*, scriptura Zenodotea in Il. *Σ*. 576.

loco mihi innotuit: *νὶῆας* identidem Apollonius habet II, 119. III, 196. 256. 303. 595. 713. V. 2. *ὦ ἴσχων* Cod. Paris. *ῷ ἰάχων* Vatic. *ὦ ἴσχεις* Gott. *ὃς ἴσχεις* reliqui. Ferri potest vocativus cum nominativo in eodem enuntiato iunctus. V. 3. *ἄμνηστος* oblivione obrutus, vocabulum rarum et Alexandrinis poetis proprium. Theocr. 16, 42. Lycophr. 1250. Cod. Vatic. habet *ἄμνητον*. V. 5. Perperam libri *Λυσιακῇ*, quod barbarum est. E Plut. Thes. 7. Pausan. VIII. 14, 2. Apollod. II. 4, 5. Schol. Pind. Olymp. VII, 49. quos locos Schneiderus collegit Ther. p. XII, scribendum *Λυσιδίκῃ*. De v. 6. scriptura Meinekium adeas in Anal. Alex. p. 46. Teuthranides in Il. Z, 3. vocatur filius Teuthrantis, regis illius Mysiae, quem Augen, Alei filiam excepisse hospitio eiusque filium Telephum educasse tradunt mythographi. Ab eodem Teuthrania urbs ad Caicum flumen, item Teuthrania terra inter Elaeam et Pergamum sita, nomen tulit. Attalum vero Teuthraniden appellat Nicander, non modo quod eandem Mysiae regionem tenuit, sed quod a Teuthrante, ni fallor, aut ab Hercule et Lysidica matre Alcmenae stirpem suam repetiit, communi illius aetatis more, quae longam prosapiam ad deos usque vel semideos libenter referret. Itaque Attali *κλῆρον πατρώιον* non imperium a patre acceptum dicit, sed iam ab ipsius possessum maioribus. Sic satisfactum fuerit Clintono Fast. Hell. 18. „Nicander did not dedicate to Attalus I. *Γαλατονίκῃ*, whose father never reigned." — De Hipodame Lysidicae matre, quae rem cum Apide habuerit, apud alios rerum mythicarum scriptores nihil inveni.

Novimus autem e Theriacis et Alexipharmacis morem Nicandri, qui librorum initio solet eum nominare virum, cui labores suos gratos esse velit; eumque morem apud plerosque illius aetatis scriptores valuisse constat, v. Meinek. Anal. Alex. p. 16. Itaque hoc fragmentum in fronte libri de poetis Colophoniis positum fuisse censeo, quem nemini iustius quam ipsi Attalo dedicari conveniebat.

Carminis autem iacturam eo magis dolemus quo pauciora hodie tenemus de Polymnesto, Mimnermo, Xenophane, Gongyla poetria, Antimacho, Phoenice iambographo, Anaxandride Camireno sive Colophonio, Hermesianacte aliisque

poetis; idque illustrandae litterarum Graecarum historiae largam praebuisse materiam suspicari licet. Antimachus si de Homero in prolegomenis quaedam disputaverat — haec enim Nitzschii est sententia, hist. Hom. I, 104 probata Welckero cycl. ep. I. p. 185 — Nicander videri potest similiter de Homero in eodem libro disseruisse. Vita Hom. apud Westerm. Biogr. p. 28: *Ὅμηρος ὁ ποιητὴς — τὸ δὲ γένος — κατὰ Ἀντίμαχον καὶ Νίκανδρον Κολοφώνιος.* Ceterum haec tralaticia Colophoniorum erat sententia, quam post Welckerum diiudicat Lauer. hist. poes. Homer. p. 98. sqq.

Ex eodem libro mutila etiam Eustathii verba in Odyss. p. 1796, ubi *Νόστων* poeta nescio quis Colophonius exhibetur, fluxisse creduntur, v. Welcker. l. l. p. 273. sq. Quodsi Nicander argumenta poetarum Colophoniorum, praesertim mythica, perstrinxit, optime convenit frgm. XXI. quod a *Νόστων* fabulis minime alienum videtur.

Caput V.

Aetolica scripsisse Nicandrum testis est antiqua Nicandri vita, poetam diu in Aetolia versatum esse tradens, *ὡς φανερὸν ἐκ τῶν περὶ Αἰτωλίας συγγραμμάτων τε καὶ τῆς ἄλλης ποιήσεως, ποταμῶν τε τῶν περὶ Αἰτωλίαν καὶ τόπων ἐκεῖσέ τε καὶ ἄλλων διαφόρων διηγήσεως, ἔτι δὲ καὶ φυτῶν ἰδιότητος.* Quibus verbis cum de argumento carminis, cuius tertius citatur liber, satis edoceamur, ipsa deinceps fragmenta persequar.

Et e primo quidem libro fabulam de Glauco Athenaeus rettulit VII, p. 296 f. *ὁ δ᾽ αὐτὸς Νίκανδρος ἐν πρώτῳ Αἰτωλικῶν τὴν μαντικήν φησιν Ἀπόλλωνα ὑπὸ Γλαύκου διδαχθῆναι· θηρῶντα δὲ περὶ τὴν Ὀρείην, ὄρος δὲ τοῦθ᾽ ὑπάρχειν ὑψηλὸν ἐν Αἰτωλίᾳ, λαγὼν θηρᾶσαι, ὃν λειποθυμοῦντα ὑπὸ τῆς διώξεως ἀπαγαγεῖν ὑπὸ κρήνῃ τινί, καὶ τῇ παρακειμένῃ πόᾳ ἤδη ὑποψυχούμενον ἀπομάσσειν. ἀναζωπυρήσαντος δε τοῦ λαγὼ τῇ βοτάνῃ ἐπιγνόντα τῆς βοτάνης τὴν δύναμιν ἀπογεύσασθαι, καὶ ἔνθεον γενόμενον ἐπιγενομένου χειμῶνος κατὰ Διὸς βούλησιν εἰς τὴν θάλασσαν αὑτὸν ἐκρῖψαι.* Aliorum de Glauco fabulas apud

ipsum Athenaeum et Eustath. in Odyss. p. 219. ed. Lips. licet invenire.

Ex eodem libro secundum fragmentum Photius servavit in Lex. v. *Τιτανίδα γῆν: Ἴστρος δ' ἐν ά Ἀττικῶν Τιτᾶνας βοᾶν· ἐβοήθουν γὰρ τοῖς ἀνθρώποις ἐπακούοντες, ὡς Νίκανδρος ἐν ά Αἰτωλικῶν.*

Tertium apud Harpocrat. v. *Θύστιον* p. 99. Bekk. *Θ. Αἰσχίνης κατὰ Κτησιφῶντος. πόλις ἐστὶ τῆς Αἰτωλίας, καθά φησι Δίδυμος ἐπαγόμενος μαρτύριον ἐκ τῆς ά Νικάνδρου τῶν Αἰτωλικῶν.*

Quartum Athenaeus exhibet XI, p. 477 b. *Νίκανδρος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Αἰτωλικῶν γράφει „ἐν τῇ ἱεροποιίῃ τοῦ Διδυμαίου Διὸς κισσοῦ σπονδοποιέονται πετάλοισιν, ὅθεν τὰ ἀρχαῖα ἐκπώματα κισσύβια φωνέεται." Ὅμηρος·*

Κισσύβιον μετὰ χερσὶν ἔχων μέλανος οἴνοιο.

Haec Macrob. Saturn. V, 31 T. II. p. 145 Bip. exscripsit, item Eustathius p. 1832, 8, ubi primis omissis verbis, *Διvδυμαίῳ Διὶ* et deinceps *τἀρχαῖ'* legitur. Voces autem Nicandri versibus olim comprehensas fuisse cum manifestum sit, Athenaeus nescio quem auctorem secutus est, qui Nicandrea in prosam dissolverat, ut XV, p. 684 II. e. prosarium Georgicorum vel libri ethnographici fragmentum e Carystio Pergameno allegavit. [1])

Secundum Aetolicorum librum Schol. Apoll. Rhod. IV, 57. excitavit: *Τὸν δὲ Ἐνδυμίωνα Ἡσίοδος μὲν Ἀεθλίου τοῦ Διὸς καὶ Καλίκης παῖδα λέγει, παρὰ Διὸς εἰληφότα δῶρον, αὐτὸν ταμίαν εἶναι θανάτου, ὅτε θέλοι ὀλέσθαι. Καὶ Πείσανδρος δὲ τὰ αὐτά φησι καὶ Ἀκουσίλαος καὶ Φερεκύδης καὶ Νίκανδρος ἐν δευτέρῳ Αἰτωλικῶν καὶ Θεόπομπος ὁ ἐποποιός.* Sic dudum emendata est scriptura librorum *ἐν Ἐποποιοῖς.*

Ad eundem librum referre non dubitavi locum Etym. M. v. *Ἀσέληνα,* ab Meinekio Anal. Alex. p. 179 ita constitutum: *Ἀσέληνα ὄρη οὕτω καλούμενα παρὰ τὴν Τραχῖνα, ἅπερ οἱ μὲν παρὰ .... λέγουσιν εἰρῆσθαι, ὡς Ῥιανὸς ἐν τῷ*

---

1) Bernhardyus tamen post *γράφει* suspicatur orationem esse mutilam.

τετρακαιδεκάτῳ (v. Lobeck. Phryn. p. 409. Mein. l. l. p. 176 n.) *Ἡρακλείας, Νίκανδρος δὲ ἐν τοῖς Αἰτωλικοῖς* (male editum est *Αἰτωλοῖς*) *ὅτι, φησὶν, ἐν αὐτοῖς τῆς Σελήνης τῷ Ἐνδυμίωνι συγκαθευδούσης συνέβαινε τοὺς ἄλλους τόπους ἀσελήνους εἶναι καὶ μὴ μετέχειν φωτός.* De Aselenis montibus exposuit Jacobs. in Diar. Scholast. 1833. p. 117. Aselenum montem poeta Ther. 215 commemoravit, ubi Schol. *τὸ δ' Ἀσέληνον Λοκρικὸν ὄρος ἐστὶ δυσχείμερον.* Endymionis autem fabulam omnino bene cum Aetolicorum argumento convenire Heynius in Apollod. II. p. 43. monuit. Eandem vero more suo, cum in diversis libris mutatas saepe fabulas iteraret, etiam in secundo Europiae libro Nicander tractavit, teste Schol. Apoll. Rhod. l. l. Itaque dubitamus utri carmini tribuenda sit annotatio Philargyrii in Scholiis Virg. Georg. III, 392: „Pan cum Lunae amore flagraret, ut illi formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit, atque ita ad rem veneream illexit. Huius opinionis auctor est Nicander. nec poterat esse nisi Graecus."

Tertii vero Aetolicorum libri fragmentum Schol. Apoll. Rhod. I. 419 (fr. XXXI. Schn.) servavit: *καὶ Νίκανδρος ἐν τρίτῃ Αἰτωλικῶν ἐκ τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ Ὀρτυγίας φησὶ τὴν Δῆλον ὀνομασθῆναι Ὀρτυγίαν, γράφων τάδε·*

οἱ δ' ἐξ Ὀρτυγίης Τιτηνίδος ὁρμηθέντες
οἱ μὲν ἴτην Ἔφεσον.
οἱ δὲ τὴν πρότερον Δῆλον καλουμένην,
ἄλλοι δ' ὁμοτέρμονα νῆσον
Σικελίης, ὅθεν Ὀρτυγίαι πᾶσαι βοόωνται.

Postrema verba, nisi quod librorum scripturam *ὅθενβοόωνται* cum Wellauero retinui, ex emendatione Hermanni Opusc. IV. p. 247 posui. Codices enim continua scriptura totum locum sic exhibent: *οἱ μὲν τὴν Ἔφεσον — ἄλλοι δὲ τὴν ὁμ. Σ. ν. ὁ. Ὀρτ. π. βοῶνται.* Ceterum notandus est hic versus propter caesuram semiseptenariam, quam semel tantum inveni apud Nicandrum, Ther. 894. Nam primarium locum in eius versibus obtinuit caesura post tertium trochaeum, cum semiseptenaria plerumque aliisque coniuncta; secundum semiquinaria cum semiseptenaria, nam semiquinaria per se nunquam posita est, nisi alia sequente cae-

sura post quartum dactylum, quam legem Nicander observavit severissime. Itaque Ther. 119 corruptus est, itemque v. 920, cui nondum satisfecit Gerhardus lectt. Apollon. p. 152, l. ὄφρ' ὀλοοῖο δύην θηρὸς καὶ πότμον ἀλύξῃς. Cum nostra observatione pugnat tantum locus Ther. v. 318 ἐξ ὅθεν αἱμορόοι σκολιοπλανέες τε κερασταί, qui longiore vocabulo excusatur; eademque venia in Ther. cadit 597 et Georg. fr. XI, 3, siquidem probanda est Jacobsii coniectura Addit. ad Anthol. p. 199: ἢ οὐλὴ καπυροῖς ὁλοθαμνῖτις πετάλοισιν. Sed ut ad praesentem locum revertar, fortasse proximum quoque scholium ad Nicandri carmen respicit: Καὶ ἡ Δῆλος οὖν οὐχ ὡς μεμύθευται ἀπὸ τῆς Ἀστερίας μεταμορφώσεως τῆς Λητοῦς ἀδελφῆς Ὀρτυγία ὠνομάσθη, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ Ὀρτυγίας, ἀφ' ἧς καὶ αἱ λοιπαὶ πᾶσαι ὠνομάσθησαν. De ipsa re cf. Heyn. in Apollod. I. 7, 10 p. 46.

Incerta Aetolicorum fragmenta tria praeterea inveni, quorum primum apud Tzetzam in Lycophr. 799. extat: Ἀριστοτέλης φησὶν ἐν Ἰθακησίων πολιτείᾳ Εὐρυτᾶνας ἔθνος εἶναι τῆς Αἰτωλίας, ὀνομασθὲν ἀπὸ Εὐρύτου, παρ' οἷς εἶναι μαντεῖον Ὀδυσσέως· τὸ δ' αὐτὸ καὶ Νίκανδρός φησιν ἐν Αἰτωλικοῖς. De Ulixis sacris in aliis Graeciae et Graeciae magnae urbibus adeas Klausen. Aen. et Penat. II. p. 1129—1154 et Lauer. hist. poes. Homer. p. 247. 599.

Secundum habent Schol. Il. E. 843. Ὀχήσιος Οἰνέως υἱός, ὥς φησι Νίκανδρος ἐν Αἰτωλικοῖς.

Tertium denique, quod ad Aetolica referendum esse liquet, Schol. Ther. 215. praebent: Ῥυπαῖον δὲ Ἀντίγονος μὲν τῆς Ἀχαΐδος φησὶν εἶναι, ἐπεὶ Ῥυπαῖοι οἱ Ἀχαιοὶ ὠνομάσθησαν· ἐστὶ δὲ τῆς Αἰτωλίας, ὡς Νίκανδρος, περί τινων εἰς Αἰτωλίαν ἐρχομένων διηγούμενος·

δι' αἰπεινήν τε κολώνην
Οἰωνοῦ Ῥυπῆς τε πάγον καὶ Ὀνθίδα λίμνην
στείχοντες Ναύπακτον ἐς Ἀμφιδύμην τε πέλαζον.

In quibus constituendis novissimos Nicandreorum editores secutus sum.

Caput VI.

Neque Oetaica inter Nicandri scripta apud Suidam recensentur. Sed laudatur Oetaicorum liber primus a Schol. Apoll. Rhod. I, 1300. Quae ubi narrant Argonautas, dum Hercules cum Polyphemo raptum a Nymphis Hylam quaereret, ancoras solvisse Boreadis auctoribus, qui postea in Teno insula irato Herculi morte sua poenas dederunt, haec subiiciunt: *Νίκανδρος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν ά τῶν Οἰταϊκῶν αἴτιον γεγονέναι Βορέαν φησὶ τοῦ θανάτου τῶν υἱέων, διὰ τὸ χειμάσαι Ἡρακλέα ἐν Κῷ τῇ νήσῳ ὑποστρέφοντα.* De re cf. Heyn. in Apollod. Not. p. 855.

Secundi libri tria supersunt fragmenta. Primum ab Athen. VII, 282 f. servatum: *Νίκανδρος δ' ἐν δευτέρῳ Οἰταϊκῶν φησι·*

Πομπίλος, ὃς ναύτῃσιν ἀδημονέουσι κελεύθους
μηνύει φιλίῃσι καὶ ἄφθογγός περ ἀμύνων.

μηνύει scripsi pro *μηνύσας* ex emendatione Meinekii Exercitt. in Athen. I. p. 24. Dein *φιλίῃσι* posui e coniectura pro *φιλέρωσι*, quod ab hoc quidem loco abhorret. Pluralem vero noli in Nicandro mirari, qui talia adamavit, ut *στόματα* os, *ὕδατα* vel *νύμφας* aquam, porro hominem doloribus excruciatum Alex. 216 cum eo comparavit, cui caput *ξιφέεσσιν* demessum sit, unam Priolai urbem Alex. 15 *ἄστυρα* vocavit. Adde v. 166. *ἀφρὸν θοοῦ δορπήια κέπφου*, de quo Bernhardy Syntax. p. 65 monuit, aliosque locos innumeros.

Secundum apud eundem extat Athen. IX. p. 411 a: *καὶ Κύαθον δὲ τὸν Πύλητος μὲν υἱὸν, ἀδελφὸν δὲ Ἀντιμάχου, ἀπέκτεινεν ἄκων Ἡρακλῆς, οἰνοχοοῦντα αὐτῷ, ὡς Νίκανδρος ἱστορεῖ ἐν δευτέρῳ Οἰταϊκῶν· ᾧ καὶ ἀνεῖσθαί φησι τέμενος ὑπὸ τοῦ Ἡρακλέους ἐν Προσχίῳ, ὃ μέχρι νῦν προσαγορεύεσθαι Οἰνοχόου.* — *Πρόσχιον, χώραν Αἰτωλίας* memorant Steph. Byz. s. v. et Thucyd. III, 102. De fabula aliunde non constat.

Tertium succedat fragmentum ex Athen. VII. p. 329 a. *Νίκανδρος ἐν Βοιωτιακῷ.*

ὡς δ' ὁπότ' ἀμφ' ἀγέλῃσι νεηγενέεσσιν ἰώπων
ἢ φάγροι ἢ σκῶπες ἀρείονες ἠὲ καὶ ὀρφός.

Nam *Βοιωτιακῷ* vitiose pro *ἐν β Οἰταϊκῶν* scriptum esse pri-

mus Dindorfius vidit, cuius sententiam probant Meinekius, Bernhardyus, alii. Pro *σκῶπες*, nomine inter pisces inaudito (nam *σκὼψ* est ulula) Schneiderus maluit *βῶκες*, de quibus v. Oribas. ed. Bussem. p. 128. Certe *σκὼψ* est ulula Hom. Od. ε, 66. Theocr. I, 136. Aelian. H. A. XV, 28. Ceterum haud raro avium nomina eadem piscium fuisse satis constat.

Argumentum vero carminis, si quid in tanta fragmentorum penuria coniicere licet, circa Herculem eiusque res gestas versatum est. Nam Dindorfii sententiam, qui Nicandrum de piscibus egisse in his libris censebat, si quidem ambigua eius verba recte intelligo, iam Meinekius reiecit Exercitt. in Athen. l. l.

Caput VII.

Siciliam Nicandri his memoravit Schol. Ther. 382, vocabulum *μάλκαι* interpretans (cf. p. 11.): *ἡμῖν δ' ἀρέσκει νῦν νάρκαι, δι' οὗ τὸ ψῦχος σημαίνει· καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ Νίκανδρος ὁτὲ μὲν ἐπὶ ψύχους, ὅτε δ' ἐπὶ τοῦ ναρκᾶν κέχρηται, καὶ ἐπὶ μὲν ψύχους ἐν τῇ Σικελίᾳ οὕτως·*

ὄμβρῳ τε κρυμῷ θ' ὅτε δέρματ' ἐδάμνατο μάλκαις.

ἐπὶ δὲ τοῦ ναρκᾶν μόνον ἐν τοῖς Κιμμερίοις χρῆται (l. *κέχρηται*). Ipsum fragmentum in libris corruptum e coniectura correxi. Vat. *κρυμῷ τε δέσμαθ' ὅτ' ἐδάμνατο μᾶλλον*. Paris. *δέματ ὅτε δάμνονται* (*δάμνατο* Gotting.) *μάλκαι*. Vulgatum *ὅταν δάμνωνται μάλκαι* ingratissimos habet numeros. Schneideri autem commentum *τε δέματ' ὅτε δάμνατο μᾶλλον* tam contextus verborum quam argumentum scholii refutat.

Alter Siciliae versus apud Stephanum Byzantium v. *Ζάγκλη* extat, e decimo libro prolatus, modo vera sit scriptura;

Καίτοι καὶ Ζάγκλης ἐδάη Δρεπανηίδος ἄστυ.

Neque ea verba, quae apud Clem. Alex. Protr. II, 39 leguntur: *οὐχὶ δὲ Ἀφροδίτῃ περιβασίῃ μὲν οἱ Ἀργεῖοι, ἑταίρᾳ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ καλλιπύγῳ θύουσι Συρακούσιοι, ἣν Νίκανδρος ὁ ποιητὴς καλλίγλουτόν που κέκληκεν*, huc referre dubito.

Caput VIII.

Thebaicorum unicum superest fragmentum libri tertii, apud Schol. Ther. 214:

Τείχεά τε προλιπόντες ὑπὲρ Παμβωνίδας ὄχθας
ἑσσυμένοι Μεγαρῆος ἐνεννάσσαντο δόμοισι.

Ubi *Μεγαρῆος* pro vulgato *Μεγαρῆες* obtulit cod. Vatic. qui totum versum sic exhibet: *ἐσσ. μεγαρῆος ἐνενεύσαντο δέσμιοι.*

Ceterum obversabatur hoc carmen Plutarcho de Herod. malig. T. IV. p. 482 Wyttenb., *οὔτε Λεοντιάδης ἐν Θερμοπύλαις ἦν στρατηγός, ἀλλὰ Ἀνάξανδρος, ὡς Ἀριστοφάνης ἐκ τῶν κατὰ ἄρχοντας ὑπομνημάτων ἱστόρησε, καὶ Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος.* Laudatur porro Nicander *ἐν Θηριακοῖς* in Etym. M. p. 27, 51: *Αγιοφάγος ὁ Ζεύς, ὡς παρὰ Νικάνδρῳ ἐν Θηριακοῖς.* Quod cum in nostris Theriacorum exemplis frustra quaeratur, Meinek. Exercitt. Athen. I. p. 8. *ἐν Θηβαϊκοῖς* reposuit. Assentirer haud invitus, nisi saepius haud pauci Theriacorum versus citarentur, qui nostris Theriacis aut desunt aut aliter insunt: quae si cum varia codicis Parisini scriptura contenduntur, quae toto coelo nonnunquam a vulgata reliquorum codicum discrepat, suspicio suboritur duplicem Theriacorum recensionem extitisse. Sed de his in secunda commentationis particula dicetur accuratius.

Caput IX.

Amplissimo carmine, quod Europiam Nicander inscripsit, Cadmeas quoque fabulas comprehendisse videtur, iuncta regionum illarum descriptione, quas Cadmus in erroribus attigisse ferebatur. Vix enim crediderim solas Europae fabulas quinque libris materiam praebere potuisse, praesertim cum res Thebanas et Boeoticas, quas alii suis in Europiis tractaverant (v. Heyn. in Apollod. p. 524), peculiari servarit carmini. — Secundum vero Europiae librum attulit Schol. Apoll. Rhod. IV, 57: *περὶ δὲ τοῦ τῆς Σελήνης ἔρωτος Σαπφὼ καὶ Νίκανδρος ἐν β ἀρώπης* (sic!) *ἱστοροῦσι. φασὶ γὰρ κατέρχεσθαι τὴν Σελήνην πρὸς Ἐνδυμίωνα καθεύδοντα αὐτὸν ἐν τῷ Λάτμῳ ὄρει.* Nisi forte corrupta haec sunt et ad idem Aetolicorum fragmentum pertinent, de quo p. 24 dixi.

Tertium Europiae librum citat Athen. VII. 296 f *Νίκανδρος δ' ἐν τρίτῳ Εὐρωπείας* (cf. L. Dindorf in Thes. Paris. p. 3438) *Νηρέως ἐρώμενον τὸν Γλαῦκον ἱστορεῖ γενέσθαι.*

E quinto libro, vel ut nonnulli codd. habent nono, fra-

gmentum servavit Stephanus Byz. v. *Ἄθος: Ἄ. ὄρος Θρᾴκης, ὑπὸ Ἄθω γίγαντος, ὡς Νίκανδρος πέμπτῳ τῆς Εὐρωπείας·*

Καί τις Ἄθω τόσον ὕψος ἰδὼν Θρήικος ὑπ᾽ ἄστροις
ἔκλυεν αὐδηθέντος ἀμετρήτῳ ἐπὶ λίμνῃ,
ὅσσα νάπους χείρεσσι δύω ῥίπτασκε βέλεμνα
ἠλιβάτου προθέλυμνα Καναστραίης πάρος ἄκρης.

Emendavit Hermannus in Sophocl. Trachin. 436, quae in codd. leguntur, *οὐ δὴ θέντος, ὑπὸ λίμνῃ, ὃς ἀναποῦν.* Porro *ῥίπτασκε* proposuit Meinekius; *ἄκρης* Holstenius dedit, pro quo libri perperam *ἀκτῆς* habent; cf. Apoll. Rhod. I, 599. *κλίτεα Παλλήνεια, Καναστραίην ὑπὲρ ἄκρην.* Herod. VII, 123: *Κανάστραιον ἄκρην.*

Quodsi Nicander Thraciae quasdam ut videtur regiones in Europia descripsit, huc fortasse referri poterit fragmentum e Schol. Ther. 460: (*τῆς δὲ Ζώνης*) *μέμνηται καὶ αὐτὸς ὁ Νίκανδρος ἀλλαχοῦ·*

Καὶ μὲν ὑπὸ Ζωναῖον ὄρος δρύες ἀμφί τε φηγοὶ
ῥιζόθι δινήθησαν, ἀνέστησάν τε χορείαν
οἷά τε παρθενικαί.

ubi *ἐνέστησαν* maluit Schneider. Eundem locum Schol. Apoll. Rhod. I, 29 respexit: *Ζώνη ἐνταῦθα ὄρος καὶ τόπος οὕτω καλούμενος ἐν Θρᾴκῃ· καὶ πόλις ὁμώνυμος ὥς φησι Νίκανδρος.*

Caput X.

Venustissimum sine dubio propter ipsius argumenti naturam et doctissimum Nicandri carmen *Ἑτεροιούμενα* seu Metamorphoses fuerunt, quarum Suida auctore quinque libros scripsit; quattuor tamen reliqui laudant scriptores. Huius autem fragmenta satis multa supersunt, si quidem fragmenta licet eas narrationes appellare, quas metro solutas Antoninus Liberalis aliique Nicandri nomine nobis proposuerunt: quibus in unum collectis et accurate illustratis magis de argumento libri et fabularum quas Nicander narravit recondita natura edocemur quam de interiore carminis compositione et arte. Integra enim Nicandri verba pauca tantum aetatem tulerunt. Primum vero quaerendum est, utrum continuo narrationis filio Ovidianum in modum Nicander suas contexuerit fabulas, an seorsim singulas exposuerit ac nullo vinculo iun-

ctas, ut in Alexipharmacis et Theriacis venena recensuit et bestias. Unitatem quidem argumenti callidamque iuncturam parum eum curasse persuasum habeo. Sed aliud est de venenis narrare et morsu serpentium, aliud ingentes fabularum copias depromere: quod negotium sine ordine et consilio Nicandrum perfecisse eo minus credi potest, cum *Αἴτια* Callimachi, quae reliquis antiquitatum enarratoribus pro norma fuerunt, optimo ordine processerint, quem post splendidam Ottonis Schneideri disputationem alienum est explicare. Ceterum talem fabularum compagem et coronam artificiose nexam qualem felicissimum Ovidii ingenium exhibuit, ne ferebat quidem Alexandrinorum poetarum ratio, qui cum doctrinam diligenter e reconditis fontibus undecunque collectam explanarent, nolebant tamen propriis commentis quicquam novare. Similes fuerunt Nicandri rationes, quem Metamorphosium fragmenta demonstrant fabulas plerumque sic narrasse, ut a singularum regionum incolis acceperat vel acceptas legerat. Hinc toties hunc illumve montem lapidem fontem etiamnum certo quodam nomine certasque fabularum ob causas nuncupari tradit. In reliquis scriptorum vestigia, quos auctores sibi delegerat, presse secutus est.

Quae cum ita sint, fortasse non absone de nexu fabularum in Heteroeumenis videbor iudicasse, si Nicandrum tamquam in itinerario vel *περιηγήσει* quadam, ab Acarnania incipientem, reconditiores Thessaliae Phocidis Aetoliae Boeotiae fabulas, quatenus ad transformationem aliquam spectarent, exposuisse, geographicum vero ut ita dicam narrationis filum episodiis, quoties id ex rei natura fieri posset, distinxisse censuero. Haec quidem sententia, fateor, nullo veterum testimonio firmatur, nec tamen est omni veri similitudine destituta. Nam ut fragmentis primi libri utar, ea prorsus circa Acarnaniam et inferioris Thessaliae regiones versantur.

Primum extat apud Stephan. Byz. v. *Ἀσπαλάθεια. Ἀ. πόλις Ταφίων. Νίκανδρος ἑτεροιουμένων πρώτῃ·*

Ἀσπαλάθεια βοήροτος.

Taphii in insulis Ithacam circumiacentibus et in ipsa Acarnania antiquitus habitabant. Accedunt quinque fabulae apud Antoninum, quarum una c. 22 de Cerambo (non ut vulgo

Terambo) pastore Meliensi agit; quam vero terram τὴν Μηλιέων vocat Antoninus, eam de Melo Acarnaniae pago intelligendam esse forma gentili Μηλιεὺς efficitur, v. Stephan. Byz. s. v.; idem Cerambus ad Othryos radices habitasse dicitur. — Secunda fabula c. 4 litem deorum de Ambracia et Cragalei iudicium continet, qui cum Herculi vindicasset Ambraciam, ab irato Apolline in saxum versus est (cf. Ovid. XIII, 713). Reliquae circum Thessaliae regiones versantur: tertia c. 32 de Dryope a nymphis abrepto, circa Oetam montem et Dryopes; accedit Amphissae commemoratio, Locriae urbis ab Oxyli nepote Amphisso conditae. — Quarta c. 23 de Batto est et Apolline iuxta Admeti boves armenta pascentis; Admetus autem rex Amphrysi prope Pheras ferebatur. Quinta denique c. 38 de Aeaci filiis, quorum Peleus ad Eurytionem Phthiae regem confugit et Chironem centaurum. Accedit narratiuncula de lupo quodam inter Locridis et Phocidis confinia in saxum mutato.

E secundo libro Thessalica est fabula de Meliteo, Melites Phthioticae urbis conditore deque Aspalide apud Anton. c. 13. Epirotica, de Municho narratio, Molossorum rege eiusque liberis, ib. c. 14, quam brevissime Ovidius absolvit XIII, 717. Tertia, de Messapiis eorumque in Italia coloniis, ib. c. 31 (cf. Dionys. Halic. A. R. I, 11.) propter Messapios puto, antiquos Locridis Ozoliae incolas (v. Thucyd. III, 101) locum habuit. Duae fabulae quae praeterea supersunt, qua ratione prioribus connexae fuerint, extricari quidem non potest: quarum prima c. 17 de Galatea quadam Cretensi agit eiusque filia in filium mutata, et de Ecdysiorum festo, quod Phaestii eam ob rem Latonae Phytiae (ἥτις ἔφυσε μήδεα τῇ κόρῃ) celebrabant; secunda c. 30 de Mileto, Byblide et Cauno, cognominibusque urbibus. Saltem apparet, Cretensi urbe semel commemorata, ad Miletum urbem paratum fuisse transitum, quoniam Cretenses Miletum antiquitus condidisse ferebantur.

Tertii libri duae Aetolicae sunt fabulae, de Cycno altera, formoso Pleuronem inter et Calydonem venatore Ant. c. 12; secunda de Oenei filiis et apro Calydonio, de bello inter Curetes et Calydonios propter occisos a Meleagro Thestii filios exorto, denique de morte Meleagri et fratrum, ib. c. 2.

Huc igitur pertinent Athenaei verba II p. 35: *ὅτι τὸν οἶνον ὁ Κολοφώνιος Νίκανδρος ὠνομάσθαι φησὶν ἀπὸ Οἰνέως·*

Οἰνεὺς δ' ἐν κοίλοισιν ἀποθλίψας δεπάεσσιν
οἶνον ἔκλησε.

Nam cur ad Georgica cum Schweighaeusero aliisque referantur apertam equidem causam non invenio; immo certior Oeneo in Heteroeumenis locus esse videtur. Athenaeum exscripsit Suid. v. *οἶνος.* — Tertia vero fabula de Hermochare Atheniensi et Ctesylla Cea, Anton. c. 1, propter Plistum fluvium ad Phocidem referenda videtur. Eodem refero, quae ex Nicandri Heteroeumenis apud Athen. III p. 82 a. extant:

Αὐτίχ' ὅγ' ἢ Σιδόεντος ἠὲ Πλείστου ἀπὸ κήπων
μῆλα ταμὼν χνοάοντα, τύπους ἐνεμάσσετο Κάδμου,

ubi *χνοάοντα,* lanuginosa, dedi Iacobsii coniecturam in Anth. VIII p. 203, *ἐνεμάσσετο* Dindorfium secutus. Pomum intelligi ab amatore inscriptum (de quo more cf. Boettiger de Med. Eurip. prolus. II p. 13. Sabina II, 72, 77) suspicatus est Casaubonus: recte opinor, et pomum quidem ab Hermochare in fanum Dianae abiectum (v. Anton. l. l.); nam quas Mellmannus de fabb. in Ovid. Met. fontt. p. 79 movit dubitationes, vanae sunt.

E quarto libro novem fabulas servavit Antoninus. Primam de Lamia in Cirphi monte Phocensi et condita Sybari, c. 8. Secunda, tertia, quarta, has enim propter Ovidii Metamorph. V, 394 — 678 coniungo, de certamine Pieridum cum Musis c. 9, de Ascalabo a Cerere in stellionem mutato c. 24, de Typhone et fuga deorum in Aegyptum c. 28. Ceterum cum Cereris errores per Atticam c. 24 commemorentur, ad Metamorphoses spectare Nicandri fragmentum (25. Schn.) e Porphyr. quaest. Homer. p. 92. Barnes.

ἐυκτιμένην Μαραθῶνα

Schneideri est coniectura. Quinta fabula de Hylae raptu Anton. c. 26 continetur, coniungendo cum Schol. Theocr. XIII, 46. et Schol. Apoll. Rhod. I, 1233. Sexta fabula de Metioche et Menippe Orionis filiabus, Anton. c. 25. C. 27 narratio de Iphigenia, Thesei et Helenae filia, educata ab Helenae sorore Clytaemnestra, quae suam esse finxit, eiusque immolatione,

quam Tzetzes in Lycophr. 143 et accuratius auctor Etym. M. v. *Ταυροπόλον* respexit, ubi collato Antonino inverso ordine *οὐ ταυροφάγον ἀλλὰ ταυροπόλον* legendum esse manifestum fit. Octava fabula de Galinthiade eiusque dolo quo Alcmenae partum levavit, Anton. c. 29, quibus ultimum accedit fragmentum ex Athen. VII p. 305, d: *Νίκανδρος δ' ἐν τετάρτῳ Ἑτεροιουμένων φησίν·*

ἢ σκάρον ἢ κίχλην πολυώνυμον.

Has autem fabulas tumultuario proposui ordine quo recensentur. Pierides vero aptum fecere transitum ad Boeotiam, Musarum cultu nobilem; ad eandemque Boeotiam Thebanae de Hercule fabulae pertinent et de Orionis filiabus; adde Iphigeniam Aulide immolatam, quam fabulae de bello Troiano, quae quidem cum transformationibus essent coniunctae, videntur excepisse.

Itaque huc revocaverim locum apud Schol. Marc. in Eurip. Hec. 1 ed. Geel., quod G. Hermannus in Schneidewini Philologo II, p. 134 ita emendavit: *Νίκανδρος δὲ Εὐριπίδῃ συνδραμὼν τὴν Ἑκάβην φησὶ Κισσέως·*

Ἔνθ' Ἑκάβη Κισσηὶς, ὅτ' ἐν πυρὶ δέρκετο πάτρην
καὶ πόσιν ἑρκείῃσι παρασπαίροντα θυηλαῖς,
εἰς ἅλα ποσσὶν ὄρουσε καὶ ἀντήλλαξατο μορφὴν
γρήιον Ὑρκανίδεσσιν ἐειδομένην σκυλάκεσσιν.

Porro incertae sedis fragmenta feruntur quae propter argumenti maxime naturam, ut fabula de pastoribus Lyciis a Latona in ranas conversis Anton. c. 35 (ubi *Τρεμιλίδα* e Steph. Byz. pro *Τριμιλίδα* scribendum), hic reponi possint: sunt autem tria.

1) Schol. Ther. 349: *τὸ ἀμορβεύοντο δὲ ἀντὶ τοῦ διηκονοῦντο, ἐθεραπεύοντο, ἐφέροντο ἐπὶ ὄνων διὰ τὸ ὀκνηρὸν αὐτῶν· ἀμορβεύειν γὰρ τὸ ἀκολουθεῖν καὶ ὑπηρετεῖν. Νίκανδρος ἐν ἑτέρῳ* (l. *ἑτεροιουμένοις*)

βουκαῖοι ζεύγεσσιν ἀμορβεύουσιν ὀρήων.

Heteroeumena indagavit certissima coniectura Bernhardyi hist. litter. Gr. II, p. 1041. *βουκαῖος* apud Nicandrum rusticum notat: cf. Ther. 5 et qui hunc respexerunt versum Schol. Il. *Υ.* 824. Etym. M. s. v.

2) Plinius H. N. XXXVII, 14: „Phaethontis fulmine icti

sorores fletu mutatas in arbores populos, lacrimis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocant, et electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus sit elector, plurimi poetae dixere, primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides rell." His accedat

3) Probus in commentariis ad Vergil. p. 44,·15 ed. Keil. a quo Pompon. Sabinus in Virg. Georg. I, 399. p. 102 profecerat: „Varia est opinio harum volucrum (alcyonum) originis. Itaque in altera sequitur Ovidius Nicandrum in altera Theodorum. Putatur enim Ceyx, Luciferi filius, cum Alcyone, Aeoli filia, mutatus in has volucres. Idem refert Alcionem, Scironis filiam, latronis Attici, Polypemonis filii, cum pater ei praeciperet, ut quaereret maritum, arbitratam permissum sibi ut concumberet cum quibus vellet, ab irato patre deiectam in mare, mutatam in hanc volucrem." Priorem fabulam Ovidius Metam. l. XI alteram l. VII secutus est. Utra fuerit Nicandrea e Probi verbis aperte non assequor. Sed opinor secundam, utpote doctiorem. Cf. tamen Naek. Opusc. II, p. 193 sqq.

Alia fragmenta non inveni, nam prorsus inepta sunt, quae in Scholiis Ovid. Ib. 473 p. 469 extr. Merk. a sciolo quodam nec inficeto medii aevi impostore conscriptis extant: „Nicander dicit Macelon filiam Damonis cum sororibus fuisse. Harum hospitio Iupiter susceptus, cum Thelonios, quorum hic Damo princeps erat, corrumpentes venenis successus omnium fructuum fulmine interficeret, servavit eos. Sed Macelo cum viro propter viri nequitiam periit. Ad alias vero servatas cum venisset Minos, cum Dosithone concubuit, ex qua creavit Eusantium, unde Eusantiae fuerunt." Ista non magis Nicandrum narrasse persuasum est, quam Propertium cecinisse versiculos, quos homo nequissimus ei tribuit. Errore factum ut Etym. M. v. Ἀσπάλαθος et Zonaras lexico ex Heter. libro quarto laudarent,

ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομέονται,

quae Theocriti sunt IV, 57, nec debebant a Schneidero et Lehrsio inter fragmenta Nicandri collocari.

Nicandrum igitur non ultimum fontem Ovidii in Metamorphosibus fuisse cum apertum est, tum veterum grammaticorum

testimoniis constat. In singulis autem Ovidii fabulis Nicandri anquirere vestigia difficillimum est, primum quia Ovidius alios multos praeter Nicandrum secutus est auctores, deinde quia consilium totius operis huc perduxit ut multa novandis et immutandis fabulis sibi indulgeret, neque iam pro certo contendi potest, quid in singulis Ovidianum, quid alienum sit. Hoc igitur unum affirmare licet, Nicandri libros Ovidium diligenter lectitasse, non ut imitaretur, sed ut optima quaeque inde depromeret.

Restat ut de ipso Antonino Liberale, unde Heteroeumenon fragmenta fere omnia pendent, pauca addam. In enarrandis fabulis eum ita versatum esse ut metro tantum soluto poetae auctoritatem apprime sequeretur, ipsius elocutio aperte prodit, quae in singulis verbis metrum heroicum et poeticas dicendi rationes saepe reliquit. Cum vero duos aut plures narrationum auctores edit, non ea diligentia processit qua Parthenius, ut quid commune quidve diversum traderent. auctores sedulo annotaret, nec facile dixeris quem prae ceteris fontem secutus sit. Una tamen eius narratio XXIII aliquam toti quaestioni lucem accendere videtur. Nam in praescriptione capitis non ex uno Nicandro, sed ex Hesiodi quoque Magnis Eoeis, Didymarchi metamorphosium l. III, Antigoni *ἀλλοιώσεσι*, Apollonii epigrammatis e primo libro Pamphili petitis, fabulam de Batto sese hausisse fatetur. Ipsum vero Antoninum Hesiodum reliquosque libros citatos legisse, si Pamphili nomen ad unum pertinere Apollonium credimus, vix exspectes ab homine sophisticae puto aetatis, praesertim cum tota narratio eodem et aequabili tenore procedat. Pamphilus autem iste fuit Alexandrinus grammaticus, Aristarcheus, ab Athenaeo saepissime adhibitus, quem Nicandri libros commentariis instruxisse Suidas docet, cf. Duebneri annot. in Schol. Nic. praef. p. 11. Itaque coniectamus a Pamphilo Heteroeumena commentariis fuisse instructa, eundemque fontes Nicandri et reliquos scriptores fabulares indicasse, huius autem annotationes in lemmatis posuisse Antoninum.

Caput XI.

In recensendis Nicandri libris ad eos perventum est, quorum argumentum medicum fuit vel physicum, ex historia

rerum naturalium petitum. Quorum *ἰάσεων συναγωγὴ* et *προγνωστικά* prorsus perierunt. Ophiacorum autem memoriam nonnulla servarunt fragmenta, in quibus componendis paululum consistere licet.

Suidas inter libros quidem Nicandri Ophiaca non commemoravit, sed in vita Pamphili, de quo modo dixi, hunc scripsisse *εἰς τὰ Νικάνδρου ἀνεξήγητα καὶ τὰ καλούμενα ὀφιακά*, tradit: nam ita pro vitiosis librorum scripturis *ὀπικὰ* vel *ὀφακὰ* cum Kuestero legendum est, cf. Lobeck. Patholog. p. 315. *Ὀφιακὰ* autem quod argumentum tractarint tam ex ipso nomine colligimus quam ex indicio Schol. Ther. 377 hoc: *Φασὶ δὲ μήτε ξύλῳ μηθ' ἑτέρῳ τινὶ ἀναιρεῖσθαι τὸ ζῷον (τὴν ἀμφίσβαιναν) εἰ μὴ ἀμπέλῳ· καὶ αὐτὸς δ' ὁ Νίκανδρος ἐν τοῖς Ὀφιακοῖς φησι Διόνυσον ἐμμανῆ γενόμενον ὑπὸ τῆς Ἥρας ὑπνῶσαι, τὴν δὲ ἀμφίσβαιναν πεδῆσαι αὐτοῦ τὰ σκέλη, τὸν δ' ἀναστάντα καὶ πλήξαντα τῷ κλήματι αὐτὴν ἀποκτεῖναι. ὅθεν ἔτι καὶ νῦν κλήματι τελευτᾷ.*

Iam cum Nicander in aliis libris, quorum ad nostram aetatem pervenit memoria de serpentibus nisi leviter non tradat, mihi quidem consentaneum videtur omnia Nicandri fragmenta, quibus alia de serpentibus tradantur quam in Theriacis, ad Ophiaca referre. Eodem igitur retrahenda, quae Aelian. H. A. VIII, 8 habet: *Ἀμφισβαίνης δὲ τὴν δορὰν βακτηρίᾳ περικειμένην ἐλαύνειν λέγει Νίκανδρος τοὺς ὄφεις πάντας καὶ τὰ ἄλλα ζῷα, ὅσα μὴ δάκνοντα μὲν, παίσαντα δὲ ἀναιρεῖ.* Haec enim ad Ther. v. 377 spectare non possunt, sed fragmentum illud, quod priore loco posui, excepisse videntur. Porro Ophiaca respiciunt Plinii verba H. N. XXX, 25: „Perfrictionibus remedio esse tradit Nicander amphisbaenam mortuam adalligatam, vel pellem tantum eius. Quin immo arbori quae caedatur adalligata non algere caedentes faciliusque succidere. Itaque sola serpentium frigori se committit, prima omnium procedens et ante cuculi cantum.“ Interim non negaverim doctum hominem, sed negligentius in Graecis compilandis versatum, Theriacorum versus modo dictos perperam intellexisse.

Formam autem carminis elegiacam duo ab eodem Aeliano servata fragmenta confirmant; alterum H. A. X, 49;

Οὐκ ἔχις οὐδὲ φάλαγγες ἀπεχθέες οὐδὲ βαθυπλὴξ
ἄλσεσιν εὐζώοις σκορπίος ἐν Κλαρίοις·
Φοῖβος ἐπεί ῥ' αὐλῶνα βαθὺν μελίῃσι καλύψας
ποιηρὸν δάπεδον θῆκεν ἑκὰς δακετῶν.

V. 2. pro librorum scriptura *ἐν ζώοις* recepi Gesneri emendationem *εὐζώοις*, quod vocabulum ad analogiam adiectivorum *εὔανδρος εὔιππος* aliorum animalibus abundantem significare videtur, dignum illud Nicandro, quem audacissimum in vocabulorum significationibus novatorem fuisse constat. Sed miraris fortasse carmen didacticum elegiaco metro compositum? At vero, praeeunte Panyasi in *Ἰωνικοῖς*, argumenta mythica et historica, omnino epica, distichis tractarunt poetae Alexandrini, Alexander Aetolus in Apolline, Hedyla in Scylla, Callimachus in Aetiis, Eratosthenes in Erigone eodemque in genere Romanos poetas nacti sunt imitatores; quo magis didacticum carmen distichis potuit adstringi illa aetate, qua certa metra non iam argumenti necessitatem sequebantur, sed e poetarum pendebant arbitrio, qui metricorum praecepta anxie intuentes doctrinam ostentarent. Facit nobiscum Bachius in hist. crit. poes. Graec. eleg. Fuldae 1840 p. 32, cui primus eorum qui innotuere[1]) Nicander didacticam elegiam Ophiacis excoluisse videbatur.

Iam didactici argumenti (nam licebit utcunque versus modo laudatos pro epigrammate habere) manifesto alterum est fragmentum apud Aelian. H. A. XVI, 28:

Ἔκλυον ὡς Λίβυες, Ψύλλων γένος, οὔτε τι θηρῶν
αὐτοὶ κάμνουσιν μυδαλέῃσι τυπαῖς,
οὓς Σύρτις βόσκει θηροτρόφος· εὖ δὲ καὶ ἄλλοις
ἀνδράσιν ἤμυναν τύμμασιν ἀχθομένοις,
οὐ ῥίζαις ἕρδοντες, ἑῶν δ' ἀπὸ σύγχροα γυίων,

καὶ τὰ ἐπὶ τούτοις addit Aelianus. Schneiderus „in extremo

---

1) Pancrates enim Alexandrinus Hadriani aetate Cosdroeidem vel Osroeidem (v. Bergk. in Mus. Rhen. N. I. p. 356) carmen epicum composuit versibus elegiacis, quo Traiani bellum Parthicum contra Osroen regem illustravit. Praeterea Philo Triccaeus atque Andromachus Cretensis, qui circa annum 50 p. Chr. floruerunt, antidota quaedam medica elegiaco metro incluserunt. V. Bach. l. l. Bernhardy. hist. litter. Graec. II. p. 395.

sequebatur, puto, φάρμακα." V. 3. codd. duo Vindobonenses pro θηροτρόφος habent θινοτρόφος i. e. θινώδης, sabulosa, quod non displicet. Psyllos serpentium domitores commemorant etiam Pausan. IX, 28, 1. Strabo XIII, 588 et XVII, 838. —

Iam sextum fragmentum petendum ex verbis Pollucis V. 38: *Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος τοὺς μὲν Ἰνδοὺς κύνας ἀπογόνους φησὶν εἶναι τῶν Ἀκταίωνος κυνῶν, αἳ μετὰ τὴν λύτταν σωφρονήσασαι, διαβᾶσαι τὸν Εὐφράτην, ἐπλανήθησαν εἰς Ἰνδούς, ὥσπερ τὰς Χαονίδας καὶ Μολοττίδας ἀπογόνους εἶναί φησι κυνός, ὃν Ἥφαιστος ἐκ χαλκοῦ Δημονησίου χαλκευσάμενος*

καὶ ψυχὴν ἐνθεὶς δῶρον ἔδωκε Διί,

κἀκεῖνος Εὐρώπῃ, αὕτη δὲ Μίνῳ, καὶ Μίνως Πρόκριδι, καὶ Πρόκρις Κεφάλῳ. Φύσιν δ' εἶχεν ἄφυκτος εἶναι, ὥσπερ ἡ Τευμησία ἀλώπηξ ἄληπτος· καὶ διὰ τοῦτο ἀπελιθώθησαν ἄμφω, ὁ μὲν ἵνα μὴ λάβῃ τὸν ἄληπτον ἀλώπεκα, ἡ δὲ ἵνα μὴ φύγῃ τὸν ἄφυκτον κύνα. Αἱ δὲ Καστορίδες Κάστορος θρέμματα, Ἀπόλλωνος τὸ δῶρον. ταύτας δ' ὁ αὐτὸς οὗτος ποιητὴς εἶναι τὰς ἀλωπεκίδας λέγει, μιξαμένου τὸ γένος ἀλώπεκι Κάστορος. Αἱ δὲ Ἐρετρικαί, καὶ ταύτας Ἀπόλλων ἔδωκε· τοὺς δὲ λαβόντας καὶ θρέψαντας Εὐρυτίδας φησὶν εἶναι. Καὶ μὴν τάς γε Μενελαΐδας τὰς αὐτὰς εἶναί φησιν ταῖς Ψυλλικαῖς δυοῖν (vel *δι'*, nam *δύ'* editum falsum est) *ἀδελφῶν κυνῶν ἐκεῖθεν ὑπὸ Μενέλεω περὶ τὴν Ἀργολικὴν τραφεισῶν.* Dudum haec ad Heteroeumena rettulerant interpretes Pollucis ante Schneiderum et Lehrsium, freti scilicet Antonin. Liber. c. 31, ubi auctore non nominato (quamquam Nicandrum fuisse cuius ille maximam partem excerpserit facile suspicamur) similia de vulpe Teumessia, Cephalo et Procride narrantur: similia inquam, non eadem, nam de Indicis canibus, Eretricis aliisque nihil apud Antoninum; quid autem versus pentameter ad Metamorphoses heroico metro compositas? Elegiaco metro cum adstricta fuerint Ophiaca, Pollucis verba eodem pertinere debuerunt. Ac ne quis canes venaticos in Ophiacis miretur, morem Nicandri recordetur, qui per opportunitatem docti nominis varias ingerere soleret fabulas. In Ophiacis igitur sermo fuit de Psyllis Libycis;

hinc delapsus est ad narrationem de Psyllis canibus et cognatis argumentis, quae per copiosam digressionem persequeretur.

Porro his non dissentaneum ut subiungatur pentametri fragmentum apud Etym. M. v. *εὔρις κύων*: *Νίκανδρος·*

Ἄρτεμις εὐρίνων ἑσμὸν ἄγει.

Ultimo loco Scholium apponam in Ther. 781, ubi de scorpiis sermo est: *τὸ δ' ἐννεάδεσμον ἤτοι ἐννέα ἁρμογαῖς ἤγουν θεσμοῖς καὶ ἁρμοῖς οἱ σφόνδυλοι συνεχόμενοι· ἢ ἐννεάδεσμοι ἤγουν πολύδεσμοι· οὐ γὰρ πλείους τῶν ἑπτὰ ἔχων ὁρᾶται· καὶ εἰ οὕτως, δεῖ τὸ ἐννεάδεσμον ἀκούειν ἐπιῤῥηματικῶς· τὸ γὰρ ἐννέα ἐπὶ πλήθους τέτακται, ὡς ἄλλοθι ὁ Νίκανδρος μέμνηται τοῦ δύο κέντρα ἔχοντος, ἐννεάκεντρον εἰπὼν κτλ.* Contra Plinii verba, H. N. XX, 96: „Petrichus, qui Ophiaca scripsit, et Miston qui rhizotomumena, adversus serpentes nihil hippomarathro efficacius putavere. Sane et Nicander non in novissimis posuit“ ad Ther. v. 596. 599. respiciunt.

Sed in his paulisper subsistendum. Reliquas partes quaestionum de Nicandri poematis et elocutione posteriori particulae seposui.



ERRATA.

P. 2 l. 13 l. saeculo — anno.
p. 2 l. 23 l. Antigono.
p. 6 l. 5 l. *ἤ*.
p. 18 l. 29 l. Etiamsi.
p. 24 l. 4 l. *ἀσελή-*

THESES.

I.

Odyss. rhaps. ί. vv. 1—50 interpolati sunt.

II.

Apud Nicandr. Alex. v. 21 legendum est ἐπιδόρπιον οἱ δὲ δοχεῖον.

III.

Apud poetas epicos praepositiones procliticorum in numero referendas esse recte Merkelius nuper pronuntiavit.

IV.

Apud Horatium Carm. I, 1. versum qui hodie sextus fertur ex interpolatione suspicor esse insertum.

V.

Fundamentum linguae Neograecae est dialectus Aeolica.

VI.

Carmina Francogallorum epica „li romans de Rencesvals" ex antiquiore cantilenarum collectione fluxerunt, didascalicum in usum ab ipsis ioculatoribus instituta.

VII.

Etymologia linguarum Romanicarum irrita fit, nisi accuratissima dialectorum vulgarium comparatio accedat.

